

Gottschalk z Orbais
De praedestinatione

[1] Cum scriptura testetur et dicat : *Iustorum animae in manu dei sunt*, optime dicitur ubicumque reperitur : *Per eius apud te exempla gradiamur*. In cuius enim manu sunt bene apud ipsum in eius ipsa manu gradiuntur et currunt. *In ipso enim uiuimus mouemur et sumus*. Cum enim sit ipse nusquam remotus sed ubicumque semper totus, cum ipso procul dubio sumus et quando ex ipso per ipsum in ipso ad ipsum tendimus. Unde et de sanctis angelis ait papa Gregorius : *Intra ipsum currunt* quando ad ipsum ueniunt. Cum enim homo qui est in ciuitate uel campo quaquauersum currat ibi non possit regulariter dici: currit in ‘ciuitatem’ uel in ‘campum’ sed in ‘ciuitate’ uel ‘campo’, multo magis non potest reprehendi quando dicuntur electi ‘apud dominum’ qui locus et domus eorum est gradi.

[2] Quisnam fuerit immo sit gradus ille de quo si bene memini Dauid dixit Jonathae : *Uno tantum gradu ego morsque diuidimur* nec usquam legi nec abs quolibet hominum didici. Verum tamen prout arbitror ille gradus gratia dei potest conuenienter intellegi. Namque cum gratis electos atque dilectos ipsa liberauerit liberet liberatura sit de lege in membris repugnante legi mentis et de lege peccati atque de corpore mortis, congruenter etiam hoc ipso uno gradu diuiduntur electi quando liberantur

VII

diuinitus de persecutoribus suis atque de corporalis pernicie mortis. O gradus eo gratior quod gratuitus, quo liberamur et de concupiscentia carnali id est de morte spiritali et de morte corporali, per quem facti filii misericordiae qui erant *natura filii inae* libere subeunt atque gaudento scandunt ad summa quos corrupta natura demer||sit in profunda ! In quibus profundis plangens et gemens electus quisque situs adhuc in carne suspirando lacrimando lamentando uociferando dicit ad deum cotidie : *De profundis clamaui ad te domine.*

[3] Audiatur istud ille qui nimis tumide naturam praetulit siue fortasse adhuc praefert gratiae. Illa quam de sancta cruce antiphona debita ueneratione cantatis : *O crux admirabilis euacuatio uulneris restitutio sanitatis* clarius luce subuertit et pellit errorem qui confingitur quasi de redemptis in ea reprobis baptizatis. Namque cum constet quod nullatenus ipsa crux fuerit uel sit ullius illorum *euacuatio uulneris* uel *restitutio sanitatis*, patet profecto quod eorum nullius ibi sit facta redemptio sed electorum solummodo qui soli redemptus mundus Christi passione creduntur et cognoscuntur esse tantummodo sicuti scilicet supplices ipsi redemptori dicunt suo : *Adoramus te Christe et benedicimus tibi quia per crucem tuam redemisti mundum* et ipsi soli dicunt : *Nos autem gloriari oportet in cruce domini nostri Iesu Christi per quem saluati et liberati sumus. Nemo enim potest*

VII

dicere dominus Iesus nisi in spiritu sancto id est sicut a sancto exponitur Augustino : *Corde ore opere animo dicto facto « nemo potest dicere dominum Iesum nisi in spiritu sancto »*. Quia mundus non potest accipere ideo se Christi sanguine redemptum non potest dicere. Nihil est enim quod dicit quisquis hoc dicit ac per hoc iam nec dicit quia non hoc in spiritu sancto qui *spiritus ueritatis* est dicit. Falsum est enim quod dicit et ob id iam nec dicit quia nihil est quod dicit. Nam si reprobis baptizati per sanguinem crucis Christi sunt redempti, ergo sunt etiam per ipsum saluati et liberati. Non autem sunt per ipsum saluati et liberati quippe qui sunt ab ipso Christo rite satis morti sempiternae praeiudicati praedamnati praedestinati et ut ita dictum sit in illam iam iure praecipitati. Non ergo sunt per sanguinem crucis eius redempti. Conticescat itaque iam mutus latrator quia reuera non duorum sed unius hoc est solius electi mundi corporis uidelicet sui Christus est redemptor saluator et liberator. Quisquis hoc non uidet caecus est, quisquis istud negat nectus est.

[4] Sanctus Augustinus exponens illud *In Iohannem* : *Ego in hoc natus sum* ait : *Non est producenda huius pronominis syllaba sed corripienda tamquam diceret: in hanc rem natus sum, id est : ad hanc rem.*

[5] Esaias ait: *Domine dabis pacem nobis, omnia enim opera operatus es nobis.* Ideo uero *operatus es* dixit de praeterito quia *fecit quae futura sunt.* Ipse solus operatus est

VII

cuncta praedestinando, solus etiam operatur inspirando et de suo iam nobis uolentibus cooperatur adiuuando.

[6] Si quaeritur ubi dicatur filius *potestas prima*, habetur in Micha : *Et tu, turris nebulosa filiae Hierusalem, ad te ueniet et usque ad te ueniet potestas prima*. Et hac sententia subuertitur penitus haeresis arriana quia reuera filius non est potestas secunda sed prima, *potestas prima* naturaliter una personaliter trina.

[7] Qualis est differentia inter *mortem* quam *deus non fecit* et mortem quam deus inrogauit inrogat inrogabit — de illa siquidem scriptura dicit : *Deus mortem non fecit*, de ista uero ait : *Vita et mors a domino deo est uita* scilicet a donante mors a uindicante, et illa est una haec autem dupla: morti enim peccati quam homines intulerunt inferunt et inferent sibi intulit infert et inferet deus mortem corporalem id est separationem animae a corpore et mortem gehennae, propter unam uidelicet iniustam geminam iustam — talis est differentia inter iniusta mala quae homo quisque commisit committit committet iniustus et mala iusta quae deus per aduersa praesentia et tormenta perpetua reddidit reddit reddet ut competit iustus. Cum dominus deus noster et magister Iesus Christus rex benedictus et imperator inuictus aduersus reprobos abunde praelocutus ac praeloquens dicat electis : *His autem fieri incipientibus respicite et leuate capita uestra, quoniam adpropinquat redemptio uestra, sa-*

VII

tis reuera pandit habentibus aures audiendi et oculos uidendi quod horum est ipse solorum dubio procul *a deo factus* ut *iustitia et sanctificatio sic et redemptio* quibus ab eo talis infunditur simul atque confertur consolatio, non quod absit uel unius illorum quibus *arescentibus prae timore et expectatione quae superuenient uniuerso orbi* digna denuntiatur desolatio grandis inrogatur tribulatio, maior incomparabiliter inferetur consequenter ut merentur cruciatio.

[8] Quisquis gratia naturam esse maiorem dicit a uia ueritatis procul deuians ipsi prorsus gratiae uehementer ingratus infensus iniuriosus existit, atque dum nimis inconsiderate loquens ueritati temeraria garrulitate contradicit, non paruam profecto sed ingentem spiritui gratiae contumeliam facit. Quod ut iam patenter deo donante cognoscas, opere pretium est ut ea quae se||cuntur prudenter aduertas. Gratia tam deus filius quam deus spiritus sanctus nonnunquam dici reperitur in scriptura sacra. Namque de filio sic habes in apostolo: *Ut gratia dei pro omnibus gustaret mortem* et iterum : *Adeamus ergo ad thronum gratiae cum fiducia*. Porro de spiritu sancto sic habes in ipso : *Infelix ego homo ! Quis me liberabit de corpore mortis huius ? Gratia dei per Iesum Christum dominum nostrum*, et : *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi*, et : *Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus*, et : *Ut resuscites gratiam*

VII

quae est in te per. Sic autem dicitur istud de spiritu sancto sicut in *Danihele* dicitur liquido : *Suscitauit deus spiritum sanctum pueri iunioris cui nomen Danihel.* Non enim de creato spiritu pueri sed de creatore spiritu debet intellegi. Sed si te mouet cur spiritus sanctus, cum sit dei spiritus, *spiritus pueri* sit dictus, debet intellegi puero datus quale est et illud apostoli : *Spiritus prophetarum prophetis subiectus est* et illud Helisaei ad Heliam : *Oro ut sit duplex spiritus tuus in me.* Ista si perspicis, profecto simul etiam perspicere potes quod sicut nemo potest dicere maiorem creatore creaturam siue factore facturam sic omnino dicere nemo sanum sapiens potest ullo modo gratia maiorem esse naturam, quippe cum gratia sit deus ac per hoc semper omnipotens at natura sine gratia penitus impotens. Annon est gratia deus et omnipotens quae quoscumque uult liberat gratis et saluat ? iuxta illud : *Quis me liberabit de corpore mortis huius ? Gratia dei,* et : *Gratia salui facti estis,* et : *Cuius gratia estis saluati,* et : *Per gratiam Christi credimus saluari sicut et illi.* Hinc est et illud Prosperi:

Saluatricem autem cunctorum gratiam Christi,

et illud :

Gratia nos reparat gratia iustificat.

Annon est omnipotens quae sufficit electis contra temptationes diaboli ? sicut ait dominus apostolo : *Sufficit tibi gratia mea,* non ait: Sufficit tibi natura tua. Non enim rationali et intellectuali creaturae sufficit aliud nisi deus.

VII

Claret itaque non subobscure sed perspicue gratiam dei sine dubio deum esse. Sicut enim manus domini dextera domini brachium domini et misericordia dei deus est filius, et sicut digitus dei donum dei et calor dei deus est spiritus sanctus, ita gratia dei uel deus filius est uel deus spiritus sanctus est. Ob id autem tam filius quam spiritus sanctus gratia uocatur quia gratis uterque nobis a deo patre datur.

Conticescat igitur innumeris uicibus immo milibus uitiata uulnerata debilitata corrupta natura quia reuera creatori non potest incorrupta conferri nedum corrupta praeferrī quod absit creatura, sed nec incorruptibilis qualis est in beatissimis angelis et quandoque per gratiam erit gratis in nobis. Non ergo simus ingrati gratiae dei quia prorsus condignas gratias agere non sufficimus ei, per quam factum est ut qui *eram natura filii irae sicut et ceteri* non remaneremus ut fuimus cum ceteris rei. *Quid superbit puluis et cinis?* cum primus quondam angelorum praefidens tumidus de natura sua uictus e caelo corruerit, et ille qui cum eo pugnavit gratia dei uictor in caelis extiterit.

Si quid his maius expectas, quaeso quod promam laetus attendas. In domino nostro Iesu Christo duas perfectas et unitas credimus et confitemur esse naturas diuinam uidelicet et humanam, qui tamen *speciosus forma prae filiis hominum* quia *diffusa est gratia in labiisei-*

VII

us *propterea* benedictus est a deo *in aeternum*. Ecce cum sit in Christo humana idcirco benedicta natura quia in labiis eius diffusa est gratia, nimis prorsus exitiose nimis perniciose superbit qui nostrae naturae usquequaque corruptae foeditatem debilitatem impotentiam egestatem caecitatem sic inflare et praecipitare praesumit, non ob id aliud uidelicet nisi quia didicit quod *maior natura quam doctrina* sit et hoc ideo quia cattus cereum dimisit et murem cepit. Tale istud est quale si de gallo aliquis minus prudens audiens qui maius caput habet suum debuisset parem comedere putat congrue se de apro posse mirae magnitudinis similiter dicere. Nimis quidem inepta est similitudo ista sed ut liquet multo ineptior est illa. Incomparabiliter enim multo maius est caput galli ad caput apri quam sit natura generis humani ad comparationem gratiae Christi. Illic enim comparatio fit creaturae ad creaturam localis ad localem, hic uero creaturae ad creatorem localis ad inlocalem impotentis ad omnipotentem. Credo sufficiant ista.

Ceterum luculentissimi stili est liber sanctissimi Augustini *De natura et gratia* ubi planissime pariter atque plenissime disputatur utrimque, ubi etiam uerissime sic inter cetera dicit doctor ipse : *Si per naturam iustitia, ergo Christus gratis mortuus est*, ut subintellegendo nos adsumamus atque concludamus : Non autem Christus gratis mortuus est, non est ergo per naturam iustitia. Et

VII

iterum : *Cur non igitur hic exclamem ? Immo exclamabo et increpabo talibus dolore christiano : « Euacuati estis a Christo qui in natura iustificamini, a gratia excidistis ». Nonne iustificantur in natura qui dicunt quod maior sit ipsa quam gratia ? Nos autem scientes quod fuerimus et nos « natura filii irae » ac per hoc digni perpetim perire, nisi donante gratis deo declinamus aliquantisper a malo et facimus bonum per gratiae dei donum, dicamus cum apostolo : « Gratia dei sum id quod sum ». Augustinus quoque dicit in Epistola ad Valentinum et monachos prima : Si ergo non est dei gratia quomodo saluat deus mundum ? Et si non est liberum arbitrium, quomodo deus iudicat mundum ? Proinde secundum hanc fidem intellegite ut neque negetis dei gratiam, neque liberum arbitrium sic defendatis ut a dei gratia separetis, tamquam sine illa uel cogitare aliquid uel agere secundum deum ulla ratione possimus, quod omnino non possumus. Propter hoc enim dominus cum de fructu iustitiae loqueretur, ait discipulis suis : « Sine me nihil potestis facere » et paulo post : Ne quisquam dicat meritis operum suorum uel meritis fidei suae sibi traditam dei gratiam et putetur uerum esse quod illi haeretici dicunt gratiam dei secundum merita nostra dari, quod omnino falsissimum est, non quia nullum est meritum uel bonum piorum uel malum impiorum, alioquin quomodo iudicabit deus mundum ? sed misericordia et gratia dei conuertit hominem. De qua psalmus dicit : « Deus meus misericordia eius praeueniet*

VII

me » ut iustificetur impius, hoc est ex impio fiat iustus et incipiat habere meritum bonum quod dominus coronabit quando iudicabitur mundus.

[9] Cum enim Christus et ecclesia tamquam sponsus et sponsa caput et corpus et membra sint una persona dicente scriptura : *Erunt duo in carne una* quod apostolus dicit *in Christo et in ecclesia* quae est ut ipse testatur *corpus eius et plenitudo eius de carne eius et de ossibus eius*, iure nimirum credimus rite speramus atque confidimus quod corpus et sanguis Christi traditum et fusus pro sola ecclesia Christi dicente apostolo : *Christus dilexit ecclesiam et seipsum tradidit pro ea* et denuo : *Quam adquisiuit sanguine suo* et coniungantur et cohaereant et coadunentur ecclesiae Christi id est adoptiuis filiis dei heredibus dei coheredibus Christi fratribus Christi membris Christi corpori Christi. Quod profecto non ita debet credi ullo modo de reprobis qui sunt membra diaboli et corpus Antichristi. Solis enim electis ait dominus : *Hoc est corpus meum quod pro uobis tradeturet de sanguine suo : Qui pro uobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Et ipsi filio qui est *dei uirtus et dei sapientia* dicit pater 5 ita : *In Iacob inhabita et in Israhel hereditare et in electis meis mitte radices*, et : *Sic in Sion firmata sum et in ciuitate sanctificata similiter requieui et in Hierusalem potestas mea et radicaui in populo honorificato et in parte dei mei hereditas illius et in plenitudine sanctorum deten-*

VII

tio mea. En ut apparet et lucet ac claret *in plenitudine sanctorum detentio* est Christi ac per hoc quia sola electa ecclesia est *corpus eius et plenitudo eius*, in ipsa sola quae corpus est *Christi manet* ad salutem et proficit ad remedium *in uitam aeternam* corpus et sanguis Christi, non in membris diaboli et corpore Antichristi.

Quod etiam in *Canonibus Arausicis* uidelicet a sancto Caesario suisque coepiscopis in Arausica ciuitate constitutis breuiter dictum est quod *qui dixerit quod deus homines ad malum praedestinauerit anathema sit*, ad malum peccati facinoris atque flagitii, non ad malum tormenti cruciatus atque supplicii debet ut ueritas constet intellegi. Sed si quis e contrario dixerit quod deus malum non fecerit, audiat dominum domino dicentem : *Omnes inimici mei audierunt malum meum domine, laetati sunt quia tu fecisti* et illud : *Si erit malum in ciuitate quod dominus non fecerit* et illud : *Si bona suscepimus de manu domini, mala autem quare non suscipiamus ?* et illud : *Ego dominus formans lucem et creans tenebras faciens pacem et creans mala, ego dominus faciens omnia haec.* Dum psalmista dicit deo : *Domine deus meus, in te speraui saluum me fac ex omnibus persequentibus me et libera me, nequando rapiat ut leo animam meam dum non est qui redimat neque qui saluum faciat*, declarat procul dubio per sanguinem crucis Christi non esse reprobos redemptos nec liberatos a deo quippe quorum animas rapit leo. Nam licet interdum et ipsi

VII

clament ad dominum, tamen quia *temporales sunt* et *ad tempus credunt et in tempore temptationis recedunt*, non exaudit illos iuxta illud quod in alio psalmo dicitur : *Clamauerunt nec erat qui saluos faceret ad dominum nec exaudiuit eos*. At quod super salute corporali siue temporali temporales temporaliter plaudunt ac blandiuntur sibi, audiant alibi iure de talibus dici *quia non est respectus morti eorum et firmamentum in plaga eorum, in laboribus hominum non sunt et cum hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos superbia, operti sunt et iniquitate sua, prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectu cordis. Cogitauerunt et locuti sunt nequitiam, iniquitatem in excelso locuti sunt, posuerunt in caelum os suum et lingua eorum transiuit in terra*. Nouerint omnes omnes reprobi quod incomparabiliter melius erunt salui post diem iudicii cum missi fuerint in ignem aeternum ubi iam non erit eis facultas ulla peccandi, quam fuit hic ubi salute sic abutuntur temporali ut sint ob id illuc rite praedestinati quo sunt ecce iam iamque merito destinandi.

[10] [*In illa die ceciderunt sacerdotes in proelio.*] Quod ut planius perspicacius plenius uideat sagacitas tua, ponatur sententia tempus utrumque continens una : *In illa die ceciderunt sacerdotes in proelio dum uult fortiter facere dum sine consilio exiit in proelium*. Iam nunc itaque liquido perspice perspicaciter intueri, non sic posse dici id quod dictum est : *dum uult fortiter facere* 'dum uelit

VII

facere' sicut illud *dum sine consilio exiit in proelium* poterat dici : 'dum sine consilio exisset in proelium'. His ita se habentibus tibi iam prout reor euidenter patentibus, meminisse debemus quod 'dum' saepe ponatur in omnibus temporibus pro 'cum'. Rarius tamen est in praesenti sed potest inde sic dici : *Non debent homines queri dum sint suo uitio mali si dei iudicio iuste facti sunt miseri*. At de ceteris temporibus plenas manus habemus ut : *Dum clamarem ad dominum, Deus dum egredieris. Ad dominum dum tribularer, Dum uenerit filius hominis, Dum uenerit paraclytus* et cetera. Praeterea plurimum precor et uehementer exhortor ut declinationes partium maximeque uerborum sedulum mittas in usum uimque satagas intueri prout oportet illarum. Quis enim putaret ut in cognitione cuiuslibet [modi] cum [esset] tot artium liberalium singulariter tunc temporis capax sagax Priscianus erraret ? Et tamen :

Cum faciam uitulam pro frugibus, ipse uenito

'cum faciam' coniunctiuum modum esse coniecit dixit et scripsit, cum reuera sit indicatiuus quasi dixisset nisi carmen impedisset : 'cum immolabo libabo litabo sacrificabo, tunc uenito' non 'cum immolem libem litem sacrificem'.

[11] Expedit ualde fili dilecte diligenter intueri quod in opusculis beatorum patrum, sicut siticulosissime ueritatem qua uiuant quaerunt catholici sic e contra

VII

falsitatem qua ceteros occidant studiosissime quaerunt haeretici, quale illud est uerbi gratia quod ait Iohannes Chrisostomus: *Neminem posse laedi ab alio nisi a semetipso fuerit laesus*. Quod infelix Iulianus episcopus pelagianus in libris suis posuit et illinc heresim suam firmare uoluit prout amplius potuit, asserens uidelicet quod Adam nemini nostrum nocuerit neminem laeserit ac per hoc in paruulis peccatum originale non sit. Quippe cum eorum laesus a semetipso nemo sit, proinde claret inquit quod eos Adam laedere nequiuit. Contra quod egregie respondit uenerabilis Beda sicut inspicere potes in primo uolumine *Super Canticum canticorum*, patenter ostendens illam sententiam Iohannis non esse ueram quia scilicet simplices et fatui possunt nescienter ab hereticis decipi ac per hoc et laedi. Hinc patefecit omnes paruulos ex Adam commixtione sexus utriusque natos ab Adam procul dubio letaliter laesos. Unde si tibi quod in Ubris beati Hieronimi caueas fideliter dico, suscensere non debes mihi quod absit ullo modo, quale est istud in sententia psalmi : *Dirige in conspectu tuo uiam meam : Meum est inquit pedem ponere, tuum dirigere*, cum certe nullus umquam gressum uel pedem posuerit ponat positurusue sit nisi quem dominus ponere fecit facit faciet, quippe qui cunctos electos suos in Christo elegit et omnes illos Christus in se ipso posuit ut ipse dicit : *Et posui uos*. Nec illud etiam ueritati concinit quod : *Dirige in conspectu*

VII

tuo uiam meam non debere dici, quia inquit si *mea est bona non est*. Quid hoc adfert impedimenti ne sic debeat dici ? Nonne dicit propheta : *Erunt praua in directa* et ipse psalmista : *Utinam dirigantur uiae meae* ? Igitur qui haec et huiusmodi saepe protulit mirum uideri nemini debet quod esse reprobos a Christo redemptos astruit, quia profecto si hoc uerum est tunc est quod absit et illud uerum quod Origenis asserit per annorum circuitus de caelo sanctos esse lapsuros et iniquos ex inferno caelum subituros et istam beatitudinis et miseriae uicissitudinem habituros. Sed quia falsa est Origenis ista sententia propter illud domini: *Et ibunt in supplicium aeternum*, nimirum falsum est et illud de reproborum redemptione propter illud apostoli: *Per proprium sanguinem introiuit semel in sancta aeterna redemptione inuenta*.

[12] Ni post *pharisaea conuiuia* superfuisset *cenae*, nihil prorsus hinc a me tibi quaestionis proponeretur quia scilicet nihil esset quod exponeretur. Manet ergo nunc quaestio quae per iunctionem seu reiunctionem sui soluitur hoc modo : ‘conuiuia cenae pharisaei’ ut ‘apostolica sedes Petri’ ‘apostolica sententia Pauli’ ‘dominicus sermo dei’ id est ‘sedes Petri apostoli’ ‘sententia Pauli apostoli’ ‘sermo domini dei’. Tale est et illud Virgilii :

Postquam arma dei ad Vulcania uentum est,

id est ‘ad arma Vulcani dei’. Tale est et illud : *In aurbus meis sunt ista domini Sabaoth, et : Tuam ipsius animam*

VII

pertransiet gladius, et : Qua ratione tuum ipsius atque omnium discutis creatorem ? et : Pro nostra omnium salute id est 'pro salute omnium nostrum'.

Fremunt arma iuuentus

id est, 'fremunt ipsi iuuenes'.

[13] *Licet ipse desiderem quo mei saepe tibi ueniat in mentem, tamen scito certissime quod tui mihi uenit in mentem rarissime.* Nolo mireris huius rei, quia scilicet pene in mente mihi est perdilecti fratris mei, quin etiam precor crebro quo replearis et quandoque sine fine satieris domini dei.

Qui respondet Amen, Christi pertingat ad agmen.

Ceterum si diligenter intuearis tot superiores genitios resolui per ablatiuos perspiciasque non posse dici per resolutionem : 'ego tibi uel tu mihi ueniat in mentem', prorsus hinc illam Prisciani qua locutionem istiusmodi debere dicit per nominatiuum resolui nequaquam recepturus es uelut cernis assertionem. Frequenter enim praeponitur etiam praepositio huiusmodi ablatiuo ut est illud : *Velut cum fossae plenae fuerint de eopro 'plenae eius' uel 'eo' et etiam in uerbis ut : Inpinguasti in oleo caput meum, et : In oleo sancto meo unxi eum, et : Ut exhilaret faciem in oleo, et : Replebimur in bonis domus tuae, et : Qui replet in bonis desiderium tuum, et : Ecce ego mittam uobis frumentum uinum et oleum et replebimini in eo.* In cunctis enim his locis, 'in'

VII

pro 'de' ponitur. Inde male fecit qui hoc ultimum testimonium in propheta deprauando corripit, uos autem bene feceritis id corrigendo : *Et replebimini in eo* id est *in oleo*. Namque frumentum et uinum id est corpus et sanguinem domini propterea plurimi manducant et bibunt ad iudicium quia de quo replentur electi non habent spiritum sanctum. Credo quidem quod haec tibi, quia deo gratias praeuolas ingenio, clareant euidenter et sufficiant ex integro, sed feras quaeso patienter libenter atque gaudenter dum nonnulla barbarae locutionis exempla depromo profutura uehementer. Gens teudisca sic habet pene distinctos casus in lingua sua sicuti sunt et in latina. Igitur quando partem uolunt alicuius rei quae pertinet ad utendum uel dare uel accipere uel deferri iubere seu petere, nequaquam proferunt id per ablatiuum sed per genetiuum. Non enim dicunt : 'Vis tu de hoc ?' aut 'da mihi de hoc' seu 'defer mihi de hoc' sed omnes in commune docti pariter et indocti dicunt, quando dumtaxat uelut dixi non totum sed partem uolunt : 'Da mihi huius uel illius' 'uis tu huius ?' 'defer mihi illius'. Verbi gratia ut fiat manifestius dicam planius clarius plenius, si partem uolunt dare uel accipere cuiuslibet rei quae habetur in praesenti uel aliunde potest deferri, dicunt : 'Vis tu huius panis ?' uel 'huius carnis' uel 'huius uini' uel 'huius potionis', similiter : 'Defer mihi illius graeci uini' uel 'illius mogari' uel 'illorum pomorum siue piro-

VII

rum', similiter : 'Commoda mihi tui frumenti, tui potus' aut 'denariorum', quasi dicant ut nos dicimus : 'Vis tu de hoc pane ?' uel 'de hac carne' et cetera supradicta, 'defer mihi de illo graeco uino' uel 'de illo mogaro' et cetera, 'commoda mihi de tuo frumento' et reliqua. Qui tamen quando quid totum dare uel accipere uolunt ut et nos dicimus dicunt : 'Vis hoc ?' uel 'istud uel illud accipe, da defer commoda mihi hoc uel istud uel illud'. Nolo haec deputentur flocci pendenda, quinimmo censeantur uehementer stupenda quippe cum barbarae linguae sint diuinitus naturaliter indita et generaliter insita, quae peritissimi Latinorum singulariter esse recondita mirantur uel potius admirantur in thesauris archiuisque Graecorum.

Ceterum inter 'miror' et 'admiror' hoc interest : *miramur* uitia et *admiramur* uirtutes, licet frequenter confundat usus uel inmutet auctoritas ut : *Mirabilis deus, Narrabo omnia mirabilia tua, et : Mirabilia testimonia tua.*

[14] Praeterea scias quando lectum est illud in euangelio : *Rex autem cum audisset iratus est et missis exercitibus suis perdidit homicidas illos et ciuitatem illorum succendit,* protinus dixi : En redempti cum sint potius perempti. Similiter et de illo in tenebras exteriores rite proiecto.

[15] Sane plurimum placuit illud quod beatus Gregorius dicit : *Deus pater deo filio nuptias fecit* et illud : *Sicut misit me pater deus deum, ita et ego mitto*

VIII

uos homo homines. Claret itaque quod cum sit deus unaquaqueque persona per se, profecto spiritus sanctus deus qui procedit ex deo qui fecit nuptias deo et ex deo cui fecit nuptias deus atque qui procedit ex deo mittente deum et ex deo misso a deo non habet hic sanguinem quod absit ullo modo sed filius tantummodo, solus uidelicet deus et homo sponsus et deus iuxta illud : *Gaudebit sponsus super sponsa, gaudebit super te deus tuus.* Cum patre quidem et spiritu sancto pariter et pariliter naturaliter et substantialiter deus magnus, et tamen specialiter solus est agnus iuxta quod dicimus ei : Domine deus agnus dei, ipse nunc et semper miserere gratis

VIII

TESTIMONIA EVANGELIORUM DE PRAEDESTINATIONE ELECTORUM SIVE REPROBORUM ET DE SOLA ELECTIONE ELECTORUM

Ait dominus ad discipulos : *Vobis datum est nosse mysterium regni caelorum, illis autem non est datum.*

Item : *Omnis plantatio quam non plantauit pater meus caelestis eradicabitur.*

Item : *Non omnes capiunt uerbum hoc sed quibus datum est.*

VIII

Item : *Multi enim sunt uocati, pauci autem electi.* Item : *Sedere autem ad dexteram meam uel ad sinistram non est meum dare uobis sed quibus paratum est a patre meo.*

Item : *Nisi breuiasset dominus dies, non fuisset salua omnis caro sed propter electos quos elegit breuiauit dies.*

Item : *Surgent pseudochristi et pseudoprophetae et dabunt signa magna et prodigia ita ut in errorem inducantur si fieri potest etiam electi.*

Item : *Mittet angelos suos et congregabunt electos eius a quattuor uentis a summis caelorum usque ad terminos eorum.*

Item : *Venite benedicti patris mei, possidete paratum uobis regnum a constitutione mundi.*

Item : *Si ibi fuerit filius pacis requiescet super eum pax uestra.*

Item : *Gaudete quod nomina uestra scripta sunt in caelo.*

Item : *Cito faciet uindictam electorum suorum.*

Item : *Hodie salus huic domui facta est eo quod ipse filius sit Abrahae. Venit enim filius hominis quaerere et saluum facere quod perierat.* Item : *Capillus de capite uestro non peribit.*

Item ad Nathahalem : *Priusquam te Philippus uocaret et cum esses sub ficu uidi te.*

Item : *Non de omnibus uobis dico : Ego scio quos elegerim.* Dixit etiam et Iudaeis : *Qui est ex deo uerba dei audit, propterea uos non auditis quia ex deo non estis.*

Item ad eos de pastore bono id est seipso : *Oues inquit uocem eius audiunt, et proprias oues uocat nominatim*

VIII

et educi eas. Et cum proprias oues emiserit, ante eas uadit et oues illum sequuntur quia sciunt uocem eius. Alienum autem non sequuntur sed fugiunt ab eo quia non nouerunt uocem alienorum.

Item de ipsis : *Ego ueni ut uitam habeant et abundantius habeant.*

Item : *Vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Oues meae uocem meam audiunt et ego cognosco eas et sequuntur me, et ego uitam aeternam do eis et non peribunt in aeternum et non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi maius omnibus est et nemo potest rapere de manu patris mei.*

Item : *Cum exaltatus fuero a terra omnia traham ad me.*

Item : *Haec est autem uoluntas eius qui misit me patris ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo sed resuscitem illud in nouissimo die.*

Dixit quoque Pilato : *Omnis qui est ex ueritate audit meam uocem.*

Item ad deum patrem : *Sicut dedisti ei inquit potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei det eis uitam aeternam.*

Item : *Non pro his antem rogo tantum sed et pro eis qui credituri sunt per uerbum eorum in me, ut omnes unum sint sicut tu pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut mundus credat quia tu me misisti. Et ego claritatem quam dedisti mihi dedi eis, ut sint unum sicut et nos unum*

VIII

sumus. Ego in eis et tu in me, ut sint consummati in unum et cognoscat mundus quia tu me misisti et dilexisti eos sicut et me dilexisti. Pater quos dedisti mihi, uolo ut ubi ego sum et illi sint mecum, ut uideant claritatem meam quam dedisti mihi quia dilexisti me ante constitutionem mundi.

Item : *Malos male perdet.*

Item : *Eum time qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* Item : *Qui templum dei uiolauerit disperdet illum deus.*

ITEM TESTIMONIA APOSTOLI PAULI DE RE PRAEDICTA

Item : Paulus apostolus in *Epistola ad Romanos* ait : *Scimus quoniam diligentibus deum omnia coeperantur in bonum his qui secundum propositum uocati sunt sancti, nam quos praesciuit et praedestinavit conformes fieri imaginis filii sui ut sit ipse primogenitus in multis fratribus, quos autem praedestinavit hos et uocauit, quos autem uocauit hos et iustificauit, quos autem iustificauit illos et glorificauit. Quid ergo dicemus ad haec ? Si deus pro nobis, quis contra nos ? Qui etiam filio suo proprio non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit ? Quis accusabit aduersus electos dei ? Deus qui iustificat, quis est qui condemnet ? Christus Iesus qui mortuus est immo qui et resurrexit, qui*

VIII

est ad dexteram dei, qui etiam interpellat pro nobis? Quis ergo nos separabit a caritate Christi? Tribulatio an angustia an persecutio an fames an nuditas an periculum an gladius?

Et paulo post : *Certus sum inquit quia neque mors neque uita neque angeli neque principatus neque instantia neque futura neque fortitudo neque altitudo neque profundum neque creatura alia poterit nos separare a caritate dei quae est in Christo Iesu domino nostro.*

Item : *Cum enim nondum nati fuissent aut aliquid egissent boni aut mali, ut secundum electionem propositum dei maneret, non ex operibus sed ex uocante dictum est ei quia maior seruiet minori, sicut scriptum est : Iacob dilexi, Esau autem odio habui.*

Item in prima *Epistola ad Corinthios* : *Loquimur dei sapientiam in mysterio quae abscondita est quam praedestinavit deus ante saecula in gloriam nostram.*

Ad Ephesios etiam : *Benedictus deus et pater domini nostri Iesu Christi qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in caelestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate. Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum dei per Iesum Christum in ipsum secundum propositum uoluntatis suae in laudem gloriae gratiae suae.*

Et paulo post : *In quo etiam sorte uocati sumus praedestinati, secundum propositum eius qui omnia operatur secundum consilium uoluntatis suae.*

IX

Item : *ipsius enim sumus factura creati in Christo Iesu in operibus bonis quae praeparauit deus [ut] in illis ambulemus.*

Item *Ad Timotheum* : *Conlabora euangelio secundum uirtutem dei qui nos liberauit et uocauit uocatione sua sancta, non secundum opera nostra sed secundum suum propositum et gratiam quae data est nobis in Christo Iesu ante tempora saecularia.*

Item : *Firmum autem firmamentum dei stat, habens signaculum hoc: nouit dominus qui sunt eius.*

Item *Ad Titum* : *In spem uitae aeternae quam promisit qui non mentitur deus ante tempora saecularia.*

Et quid est mirum si de membris talia loquatur, cum de ipso capite haec eadem intrepide ita fateatur : *Qui praedestinatus est filius dei in uirtute secundum spiritum sanctificationis ?* Item : *Oculus non uidit nec auris audiuit nec in cor hominis ascendit quae praeparauit deus diligentibus se.*

IX

[1] ITEM. Deus qui nescit et nequit errare falliue seu fallere nihil aliud umquam debuit debet debebit quod absit agere, nisi quemadmodum semel simul sempiternaliter praescitum praedestinatum praefixum

praeparatum praefinitum praeordinatum super electos gratuitum gratiae suae beneficium superque reprobos iustum iustitiae suae iudicium sempersecundum *consilium suae uoluntatis* incommutabiliter disposuit facere, miserens cui uult magna bonitate indurans et deserens damnansque consequenter quem uult nulla iniquitate sed summa prorsus ut iustum iudicem decet aequitate, electis gratiam tribuens reprobis iustitiam iudicium poenamque retribuens. Sicut enim ueracissime beatum dixisse nouimus Augustinum, sic per omnia certissime debemus credere cognoscere confiteri et asserere per carisma diuinum : *Nullum deus eligit dignum sed eligendo efficit dignum, nullum tamen punit indignum.*

[2] Illud testimonium Hieremiae : *Scio domine quia non est in homine uia eius, nec uiri est ut ambulet et dirigat gressus suos* beatus Augustinus septuaginta interpretum translatione usus in *Libro ad Marcellinum contra Pelagium et Caelestium* sic ponit et exponit : *Hieremias cum dixisset: « Scio domine quia non est in homine uia eius nec uiri est ut ambulet et dirigat gressus suos » continuo subiunxit : « Corripe [me] domine, uerum tamem in iudicio non in furore tuo » tamquam diceret: Scio ad correptionem meam pertinere quod minus abs te adiuuor ut perfecte dirigantur || gressus mei. Tamen hoc ipsum noli sic mecum agere tamquam in furore quo iniquos damnare statuisti sed*

tamquam in iudicio quo doces tuos non superbire. Unde et alibi dicitur : « Et iudicia tua adiuuabunt me ».

[3] *Credite iam Christum [passum] pro cunctis. — Credite passum pro cunctis electis est intellegendum. Siquidem duo corpora sunt : unum Christi alterum Antichristi, et unumquodque constat integritate siue plenitudine membrorum suorum. De omnibus Christi membris dicitur : Reminiscentur et conuertentur ad dominum uniuersi fines terrae. Et adorabunt in conspectu eius uniuersae familiae gentium. Quoniam domini est regnum et ipse dominabitur gentium. Et adorabunt eum omnes reges [terrae] omnes gentes seruiant ei, et : Omnes gentes quascumque fecisti uenient et adorabunt coram te domine et glorificabunt nomen tuum, et : Ergo omnes mortui sunt et pro omnibus mortuus est, et : Pro nobis omnibus tradidit eum, et : Qui uult omnes homines saluos fieri, et : Qui est saluator omnium hominum maxime fidelium. Et e contrario de omnibus Antichristi membris dicitur : Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum non est usque ad unum, et : Conuertantur peccatores in infernum, omnes gentes quae obliuiscuntur deum, et : Cum exorti fuerint peccatores sicut fenum et apparuerint omnes qui operantur iniquitatem ut intereant in saeculum saeculi, et : Quoniam ecce inimici tui peribunt et dispergentur omnes qui operantur iniquitatem, et : Perdes omnes qui tribulant animam meam, et : Eritis odio omnibus*

hominibus, et: Omnes sua quaerunt. Et isti sunt totus mundus de quo dicit Iohannes apostolus : Totus mundus in maligno positus est. Et illi sunt totus mundus de quo idem in eadem epistola dicit : Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris [tantuni]ait sed et pro totius mundi. Unde uerissime dicit disputator egregius : Totus mundus ecclesia est et totus mundus odit ecclesiam. Mundus igitur odit mundum, inimicus reconciliatum damnatus saluatum inquinatum mundum. Qui ergo mundum de mundo elegit, fecit quod eligeret non inuenit. De mundo electo dicit apostolus : Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Item de reprobo mundo ait : Ne cum hoc mundo damnemur. De quo dicit et dominus : Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret. Quia uero de mundo non estis sed ego uos elegi de mundo propterea odit uos mundus, et : Confidite, ego uici mundum, et : Quos dedisti mihi de mundo, et : Non sunt de mundo sicut et ego non sum de mundo, et: Non pro mundo rogo. Hinc euidenter claret sole splendidius et patet luce liquidius quod dominus deus nullatenus est pro reprobo mundo passus, pro quo non est rogare dignatus. Rogauit tamen in eadem oratione pro mundo suo dicens : Ut mundus credat, et ut cognoscat mundus quia tu me misisti. De quo dicit alias : Sic enim dilexit deus || mundum ut filium suum unigenitum daret, et : Non uenit filius hominis ut iudicet mundum sed ut saluetur mundus per ipsum, et : Pa-

nis quem ego dedero caro mea est pro mundi uita. Igitur ubi erit [lumen] nostrorum duorum oculorum, si non aduertamus manifestissimam redemptionem unius mundi, non quod absit mundorum, quippe cum dicat ipse dominus : *Panis quem ego dedero caro mea est pro mundi uita*, non ait : pro mundorum uita? Hinc est et illud Iohannis baptistae : *Ecce agnus dei qui tollit peccata mundi* non mundorum, et alia multa. Nam quod filius dei pro solis [sit] passus electis ipse palam patefacit dum dicit : *Filius hominis non uenit ministrari sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis*, et : *Hic est calix sanguinis mei, noui et aeterni testamenti, qui pro uobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Quem sequens ait gloriosus Gregorius : *Illum Iohannes baptista praedicare ueniebat, qui et quosdam ex Iudaea et multos ex gentibus redempturus erat.* Ecce quos multos ecce quos omnes Christus redemit qui profecto pro nullo reproborum mortem quod absit pati uenit.

[4] ‘Illic’ in loco, ‘illuc’ ad locum. Optime tamen dicitur : *Illic enim ascenderunt tribus tribus domini*, quia uidelicet illic electi dei ascenderunt et ascendunt ubi iam erant et sunt. Unde postquam dixerunt atque dicunt : *In domum domini ibimiiis*, uerissime laeti subdiderunt atque subdunt : *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalem.* Qui enim sunt ad illam domum praedestinati iam sunt ibi plantati sicut scriptum est : *Plantati in domo*

domini, in atriis domus dei nostri florebut. Proinde qui iam sunt ibi fide et spe ubi erunt specie et re, etiam si dicerent : *In domo domini ibimus*, nullatenus hinc eos reprehendere posset ullus quia scilicet illic eunt ubi sunt quemadmodum gaudentes cum apostolo dicunt : *Conuiuificauit nos Christo cuius gratia salui facti sumus*, et : *Simul excitauit et condesere nos fecit in caelestibus in Christo*. Cum igitur illi qui sunt in campo non in ‘ipsum campum’ dicuntur currere sed in ‘campo’ regulariter, et illi qui sunt cum capite suo in superna domo ascendunt in illa gratuito domini dei dono. Tale est et illud : *Per eius apud te exempla gradiamur*. Cum enim dominus deus noster sit nobis domus refugii et locus et nos uicissim per gratiam eius templum ipsius, bene prorsus apud eum currimus apud quem sumus, *in ipso enim uiuimus et mouemur et sumus*. Ciuitas namque dei una est, in sola manet ipse qui totus ubique est. Igitur in ipsa ciuitate currimus in qua sumus et quae ciuitas nos ipsi sumus et ob id apud dominum deum nostrum domum nostram locum nostrum gradimur in quo *uiuimus mouemur et sumus* ut ab apostolo dicitur. At e contrario reprobi non sunt ciuitas dei sed ciuitas diaboli ac per hoc nisi fallaciter se dicere nequeunt apud deum gradi. Scito tamen quod alias dicitur : *Per eius apud te exempla gradiamur* et alias : *ad te*. Quapropter utrumque dici debet incorrupte, ne forte nimis grauiter offendatur ille corrector immo corruptor.

[5] DE SYLLOGISMIS. Syllogismus est argumentum et sententia cornuata satisque prudenter et ineuitabiliter captiosa. Quia scilicet syllogismi multis modis fiunt, plurimum tamen inter alios trimembris ille placet mihi qui constat propositione adsumptione conclusione. Cuius interdum immo crebro apostolus utitur propositione et explanatores eius consequenter adsumunt atque concludunt regulari adsumptione atque conclusione, ut est illud *Ad Galathas* : « *Si per legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est* ». *Non autem Christus gratis mortuus est. Non est ergo per legem iustitia.* Item idem ad eosdem : *Si per legem hereditas, iam non ex repromissione.* Est autem hereditas ex repromissione. Non est igitur hereditas per legem. Item : *Si enim data esset lex quae posset uiuificare, omnino ex lege esset iustitia.* Non est autem ex lege iustitia. Non est ergo data lex quae posset uiuificare. Item in alia epistola : « *Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit* ». *Christus autem resurrexit. Ergo mortui resurgunt.* Item : *Christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum.* Proinde si Christus etiam reprobos redemit de maledicto legis factus pro eis maledictum, non sunt ergo nec erunt maledicti sed benedicti quippe qui sunt a Christo de maledicto legis re I dempti. Sunt autemet erunt maledicti quippe quibus dicturus est dominus : *Discedite a me maledicti in ignem aeternum.* Non ergo Christus reprobos redemit de maledicto legis neque

factus est pro eis maledictum. Item per prophetam dominus dicit : *Et ambulabunt qui liberati fuerint et redempti a domino, conuertentur et uenient in Sion cum laude et laetitia sempiterna.* Non autem uenient in Sion reprobi cum laude et laetitia sempiterna. Non sunt igitur a domino liberati neque redempti. Item : si reprobi non sunt ad mortem praedestinati, neque illic sunt destinandi. Destinandi sunt autem quoniam scriptum est : *Tu uero deus deduces eos in puteum interitus.* Ergo iam sunt illuc praedestinati.

[6] *Erubescere Sidon, ait enim mare.* Nam quemadmodum Sidon interpretatur *uenatio* et ipsa uenatio pro uenatoribus ponitur in hoc loco, similiter crebro ponitur et dicitur diuinitas et deitas pro deo. Quod [ut] ualeas uidere liquido, diligenter attende quod dicere uolo. Omnes Venetici qui sunt uidelicet intra mare degentes in ciuitatibus homines Latini dominum suum id est imperatorem Graecorum nequaquam uocant dominum sed dominationem. Dicunt enim : *Benigna dominatio miserere nostri, et: Fuimus ante dominationem, et : Ita nobis dixit dominatio.* Sed ne tibi uilescat illorum quasi rustica loquutio, uide quid sit in caelo. Nam pro dominis dominationes uocantur illi spiritus beati qui sunt inter ceteros in ordine constituti vi°. Sic ergo dicitur deitas et diuinitas pro deo. Item homines Dalmatini, perinde id est similiter homines Latini Graecorum nihilominus imperio subiecti, regem et imperatorem communi

locutione per totam Dalmatiam longissimam reuera regionem regem inquam et imperatorem regnum et imperium uocant. Aiunt enim: *Fuimus ad regnum*, et : *Stetimus ante imperium*, et : *Ita nobis dixit regnum*, et : *Ita nobis loquutum est imperium*. Sed nec istud ab illis aestimes absque auctoritate dici, siquidem sancta ecclesia toto terrarum orbe cum ueraciter et fauorabiliter tum satis auctorabiliter laetissima canat de filio dei : *In excelso throno uidi sedere uirum quem adorat multitudo angelorum psallentium in unum : ecce cuius imperium nomen est in aeternum* id est : ecce cuius nomen imperator est in aeternum. Similiter quoque debes et illud nosse quod sub numero singulari generaliter omnes electi dicuntur et sunt regnum gratis effecti, sicut probat illud apostoli : *Cum tradiderit regnum deo et patri* id est ut ab beato dicitur Augustino : *Eos quos redemit sanguine suo tradiderit contemplando patri suo*. Porro huic regno daturus est dominus deus noster rex ubi perpetim regnent cum eo regnum, tunc uidelicet quando dicet illis ipse rex regum : *Venite benedicti patris mei, percipite regnum* tamquam dicat ut in sancti Augustini exposuit sermone : *Qui regnum eratis et non regnabatis, uenite regnate*. Non mireris itaque si rex unus regnum uocetur iure, cum tot reges omnes electi propterea reges deo donante sunt quia sub Christo uero rege semper animas eorum regente corpora sua regunt — regnum uocentur ut sunt rite.

Erubescere Sidon, ait enim mare. Sidon interpretatur *uenatio* ut supra dictum est. Porro *uenatio* seu *uenator* est quisque *praedicator* dicente domino per prophetam : *Ecce ego mittam uenatores meos et uenabuntur eos et piscatores meos et piscabuntur eos.* Per mare uero significatur uulgus et plebeia multitudo. Proinde quoniam palam peccat *praedicator* id est *uenator* et uulgus eius [est] *reprehensor*, tunc impletur istud : *Erubescere Sion, ait enim mare.*

[7] *Electi ita ueniunt ad filium quomodo ipse dicit: «Omne quod dat mihi pater ad me uenit, et eum qui uenit ad me non eiciam foras ». Et iterum : « Haec est, inquit, uoluntas eius qui misit me patris ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo. » Horum si quisquam perit fallitur deus, sed nemo eorum perit quia non fallitur deus. Horum si quisquam perit uitio humano uincitur deus, sed nemo eorum perit quia nulla re uincitur deus.* Item in libro *De regula uerae fidei : Firmissime tene et nullatenus dubites || omnes quos uasa misericordiae gratuita bonitate deus facit ante mundi constitutionem praedestinos a deo esse, neque perire posse aliquem eorum quos deus praedestinauit ad regnum, nec quemquam eorum quos non praedestinauit ad uitam ulla posse ratione saluari.* Item in fine libri : *Haec interim XL capitula ad regulam uerae fidei firmissime pertinentia fideliter crede fortiter tene ueraciter patienterque defende, et si quem contra dogmatizare cognoueris tamquam pestem fuge et*

tamquam hereticum abice. Ita enim ista quae posuimus fidei catholicae congruunt ut si quis non solum omnibus sed etiam singulis eorum uoluerit contraire, in eo quod singulis eorum contumaciter repugnat et eis contraria docere non dubitat, hereticus et fidei christianae inimicus atque ex hoc omnibus catholicis anathematizandus appareat. Quid plura ? Nihil hinc opus est ultra.

[8] ITEM. Sanctus Ambrosius *In epistolam ad Romanos* exponens illud testimonium psalmi : *Omnes declinauerunt* ait : *Istos omnes et propheta Hieremias significat inter cetera dicens : « Tunc omnes insurrexerunt in prophetam domini uolentes occidere eum » ei subiecit : « Omnis autem populus non permisit illos ». Ergo omnes dixit sed malos, et hos omnes sed bonos. Neque enim quia dixit : « Omnes declinauerunt » totam penitus plebem significat sed hanc partem plebis, sicut et memoratus propheta refert : « In qua omnes mali se condiderunt ». Semper enim duo populi sunt in una plebe.*

[9] ITEM. Sanctus Augustinus exponens illud apostoli : *Non uolentis neque currentis sed miserentis est dei* dixit : *Non ideo misertus est deus quia uoluit et cucurrit Iacob sed ideo uoluit et cucurrit Iacob quia misertus est deus. Sic et nunc quoque, non ideo miseretur nostri deus quia nos uolumus et currimus, sed ideo nos uolumus et currimus quia miseretur nostri deus. Ille siquidem nos praeuenit ut bona uelimus et subsequitur ut possimus et ipse facit*

X

ut faciamus. Ipse sine nobis in nobis praeoperatur incipiens qui iam de suo uolentibus nobis cooperatur perficiens. Item praefatus auctor exponens illud domini : Sicut palmes non potest ferre fructum nisi manserit in uite sic nec uos nisi in me manseritis ait : Qui a semetipso se fructum existimat ferre in uite non est, qui in uite non est in Christo non est, qui in Christo non est christianus non est. Dicamus ergo cum apostolo : Gratia dei sum id quod sum, quando quidem ut sanctus Augustinus ait : Gratia est electis omne meritum. Velim praeterea firmissime teneas et nullatenus ambigas quia nihil aliud quam perimere perimi perire perdere perdi potest impotens humanitas nisi semper illam gratis adiuuet omnipotens diuinitas, quod declarat dominus deus dicens ad populum suum : Perditio tua Israhel, tantum in me auxilium tuum. Unde dicit et Iob de se : Ecce non est auxilium mihi in me. Oportet itaque nos domino deo semper supplicare quo deinceps dignetur gratis nos in omnibus adiuuare.

X

[1] Casiodorus post *Expositionem psalmi quinquagesimi quarti* : *Audiuimus uiuificatorem creaturarum animam suam posuisse pro salute mortalium, audiuimus impassibilem deum carne suscepisse pro peccatoribus passionem,*

audiuimus patri coaeternum mortis subisse supplicium. O inaestimabile pretium quod redemit genus humanum, holocaustum quod nobis praestitit aeternas flammam euadere, interitus qui tulit exitium, finis qui dedit bonum sine fine mansurum ! Nam cum peruenit in innocente mortis aculeus. factum est ut iure perderet quos tenebat obnoxios. Deglutiuit enim infernus more piscium exitium suum et qui se capere praedam credidit praedatorem suum potius deceptus excepit. Unde papa Leo sedis suae compar pulchre locutus est dicens : « Quamuis multorum martyrum in conspectu domini pretiosa mors fuerit nullius tamen insontis occisio fuit redemptio peccatorum. Acceperunt enim iusti non dederunt coronas et de fortitudine fidelium exempla nata sunt patientiae non dona iustitiae. Singulares quippe in singulis mortes fuerunt nec alterius quisquam debitum suo fine persoluit, inter filios autem hominum unus solus extitit Christus qui uere erat agnus immaculatus in quo omnes crucifixi omnes mortui omnes sepulti omnes etiam suscitati ». Praesta piissime deus ut qui in adsumpta carne pro nobis dignatus es pati regni tui nobis consortia largiaris.

Haec si cuncta prudenter inspecta fuerint, de ueritate redemptionis quae per sanguinem crucis Christi solis est impensa prorsus electis minime deinceps dubitare competit. Nam quod dicit : *O inaestimabile pretium quod redemit genus humanum !* illud omnino redemit genus humanum cui praestitit sicut ibi dicit *aeternas flammam*

euadere, cui tulit exitium, cui dedit bonum sine fine mansurum iuxta illud beati Augustini quod ait in libris De ciuitate dei : Genus humanum — subaudi : genera hominum — in duo quaedam distribuimus : unum eorum qui uiuunt secundum deum alterum eorum qui secundum saeculum, quas mystice appellamus ciuitates duas quarum est una quae praedestinata est in aeternum regnare cum Christo domino altera aeternum supplicium subire cum diabolo. Sicut enim duo populi sunt in una plebe sic duo genera hominum in uno humano genere. In uno etiam uersu psalmi reperitur uterque populus : Beatum dixerunt populum cui haec sunt, beatus populus cuius dominus deus eius. Ille perditionis iste uero est populus acquisitionis de quo est illud domini : Populus quem non cognoui seruiuit mihi, et : Populus quem elegit dominus in hereditatem sibi, et : Ipse saluum faciet populum suum a peccatis eorum, et : Adnuntio uobis gaudium magnum quod erit omni populo, in septuagesimo psalmo sicut oleo loquitur dominus deus : Audi populus meus et loquar Israhel atque paulo post de amurca dicit : Et non audiuit populus meus uocem meam et Israhel non intendit mihi et cetera usque ad illud : Inimici domini mentiti sunt ei.

Illud quoque praefati papae Leonis quod in *Omelia de natiuitate domini* dicit quod *ipse saluator noster sicut a reatu nullum liberum repperit, ita liberandis omnibus uenit de solis prorsus electis omnibus eum dixisse, superius a Ca-*

siodoro eius prolata sententia manifestissime pandit ubi uidelicet de Christo agno immaculato dicit : *In quo omnes crucifixi omnes mortui omnes sepulti omnes etiam suscitati.*

Cum igitur haec ita se habeant nec inter omnes amatores falsitatis et negatores ueritatis haec ad ullam rem ualeant, quam sit illis *durum contra stimulum calcitrare* uideant paueant timeant sileant. Nam qui sicut expedit dei patris erga [hominem] beniuolentiam et dei filii oboedientiam humilitatem patientiam perpendit, qualiter scilicet pro electis ieiunauerit esurierit sitierit fatigatus fuerit blasphemias calumnias contumelias ignominias maledicta impropria obprobria conuicia ludibria uincula alapas colaphos sputa flagella sustinuerit spineam quoque coronam libenter imponi capiti suo permiserit crucem sibi portauerit eamque sponte subierit ibique tunc temporis turpissima morte suspensus et occisus fuerit, procul dubio fatetur incunctanter et laetus asserit quod omnes omnino quos tali pretio redemit a morte perpetua redemptor pius redemerit et eis omnibus uitam aeternam dederit. Istud illi negent si uolunt qui magis amurcam quam oleum, uinacium uel acinium quam uinum, paleas et zyzania quam triticum, hyrcos et haedos quam oues et agnos diligunt quia fortassis inde sunt. Ceterum qui deum diligunt qui eum cunctipotentem sciunt et eum *omnia quaecumque uoluit in caelo et in terra in mari et in omnibus abyssis* fecisse credunt cognoscunt canunt certissime tenent faten-

tur et asserunt quod eorum nemo perpetualiter perit qui per sanguinem crucis Christi redempti sunt, ipso domino dicente : *Pater quos dedisti mihi custodim et nemo ex his perit nisi filius perditionis*, et : *Quos dedisti mihi non perdidisti ex eis quemquam*, et : *Non peribunt in aeternum et non rapiet eas quisquam de manu mea*, et : *Nemo potest rapere de manu patris mei*, et : *Capillus de capite uestro non peribit* id est nullus electorum a Christo direptus perpetualiter interibit, et : *Haec est uoluntas eius qui misit me patris ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo*, et : *Omne quod dat mihi pater ad me uenit et eum qui uenit ad me non eiciam foras*, et : *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis ut omne quod dedisti ei det eis uitam aeternam*, et : *Non uos me elegistis sed ego elegi uos et posui uos ut eatis et fructum afferatis et fructus uester maneat*. Unde dicit generaliter de ecclesia sua : *Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam et portae inferi non praeualebunt aduersus eam*. Hinc rursus ait de eadem ecclesia sua scilicet domo sua quam ipse uir sapiens et dominus deus omnipotens aedificauit supra petram : *Venerunt flumina flauerunt uenti et impegerunt in domum illam et non cecidit, fundata enim erat supra firmam petram*. De qua ecclesia dicit et psalmista : *Domini est terra et plenitudo eius, orbis terrarum et uniuersi qui habitant in eo, quia ipse super maria fundauit eum et super flumina praeparauit eum*. Item : *Etenim firmauit orbem terrae qui non commouebitur*. Item : *Qui fundasti*

super stabilitatem suam, non inclinabitur in saeculum saeculi. Hinc ait et apostolus Paulus : *Firmum autem firmamentum dei stat habens signaculum hoc : nouit domimis qui sunt eius et iterum : Quis accusabit aduersus electos dei ? Deus qui iustificat, quis est qui condempnet ? Christus Iesus qui mortuus est ? Immo qui et resurrexit ? qui est ad dexteram dei ? qui etiam interpellat pro nobis ?* His omnibus interrogationibus respondi debet : non. Item : *Si deus pro nobis, quis contra nos ? Qui proprio filio non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non et cum illo omnia nobis donauit ?* Sed iam nunc uidendum est qualiter isti caeci et duces caecorum testimonia tam perspicua sic lucida sic aperta uelint obscurare per testimonia caecis penitus operata. Aiunt enim quod pereant illi qui sanguine redempti sunt Christi iuxta illud apostoli : *Et peribit infirmus in tua conscientia frater propter quem Christus mortuus est.* Sed absit ut tot superioribus testimoniis contraria sit haec una sententia. Licet enim frater ille propter quem Christus mortuus est pereat in tua conscientia, non tamen perit in sua praesentia quippe qui per sanguinem Christi ad aeternam salutem redemptus est gratuita dei clementia. Verum est quidem quod quicumque peccatum criminale committit et ipse protinus perit et eum uel eos qui sibi consentiunt perdit teste psalmista qui ait : *Erraui sicut ouis quae periit.* Hinc est et illud apostoli : *Noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est et illud : Per*

unum hominem peccatum intrauit in mundum et per peccatum mors et ita in omnes homines pertransiit in quo omnes peccauerunt. Tunc enim sicut sanctus Augustinus exponit : *In Adam omnes peccauerunt quando ille unus omnes fuerunt.* Hinc ait et beatus Ambrosius : *Fuit Adam et in illo fuimus omnes, periit Adam et in illo perierunt omnes.* Hinc ait et Esaias : *Omnes nos uelut oues errauimus, unusquisque in uiam suam declinauit.* Sed prorsus electi propterea deo non pereunt quia sicut consequenter Esaias dicit : *Dominus posuit in eo — id est super filium — iniquitates omnium nostrum,* et : *Ipse peccata multorum tulit et pro transgressoribus rogauit ut non perirent.* *Venit enim filius hominis,* quemadmodum ipse dicit, *quaerere et saluum facere quod perierat* sicut et rursum dicit : *Congratulamini mihi quia inueni ouem meam quae perierat et dragmam meam quam perdideram.* Ecce dominus deus pastor bonus ouem suam perditam quaesiuit inuenit redemit et domum reuexit. Et idem ipse dei sapientia dragmam perditam sed quaesitam et inuentam domum retulit. Et ideo prorsus ipsi domino deo nequaquam periit nequaquam perit nequaquam peribit, teste papa Gregorio qui dicit : *Ut completeretur electorum numerus homo decimus est creatus qui conditori suo nec post culpam periit quia hunc aeterna sapientia per carnem miraculis coruscans ex lumine testae reparauit.*

XI

[2] Apostolus ait de filio : *Cum tradiderit regnum deo et patri.* Sanctus id sic Augustinus exponit : *Id est eos quos redemit sanguine suo tradiderit contemplando patri suo.* Igitur si Christus reprobos baptizatos redemit sanguine suo, procul dubio tradet eos contemplando patri suo. Non autem tradet eos contemplando patri suo. Non ergo redemit eos sanguine suo. Unde dicit pater filio : *Postula a me et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae.* Quod exponens Casiodorus ait : *Gentes significant nationes toto orbe diuisas quas distinctus ac separatus agni sanguis amplectitur.* De hac etiam hereditate psalmista perhibet : *Non repellet dominus plebem suam et hereditatem suam non derelinquet.* Quod sic praefatus auctor explanat : *Hereditas humana ad successorem prioris domini transmiratione transfertur, at hereditas Christi licet sit eius sanguine conquisita numquam suum perdit auctorem sed cum ipso nihilominus possidetur.*

XI

ITEM CONTRA ILLOS QUI ADFIRMANT REPROBOS ESSE REDEMPTOS

Ut fdelis deo promptus attende quae dico. Apostolus dicit de spiritu sancto : *Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda scit*

quid desideret spiritus quia secundum deum postulat pro sanctis id est electis. De quibus uidelicet consequenter addit : Scimus autem quoniam diligentibus deum omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum uocati sunt sancti. Et aliquando Paulus dicit de filio : Qui etiam interpellat pro nobis scilicet pro electis, nam nullatenus et pro reprobis quippe cum dixerit ipse patri suo : Non pro mundo rogo. Cum ergo spiritus sanctus pro sanctis postulet et filius roget et interpellet, quis nisi nequissimus dicere audeat quod aliquis eorum perire perpetually ualeat, cum sit una semper uoluntas patris et filii et spiritus sancti, et apostolus in ipsius medio capituli de patre dicat : Si deus pro nobis quis contra nos ? Quod enim deus non sit pro reprobis baptizatis passus claret illic patenter quod diabolus uincit et sibi subicit eos. Ac per hoc sequitur uox ad regnum electorum de deo patre : Qui etiam proprio filio suo non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit illum. De quibus alibi dicit apostolus : Non posuit nos deus in iram sed in acquisitionem salutis per dominum nostrum Iesum Christum qui mortuus est pro nobis ut siue uigilemus siue dormiamus simul cum illo uiuamus. Ecce fructus crucis Christi. Erubescant et conticescant inimici crucis Christi. Apostolus uas electionis praedicator ueritatis et doctor gentium in fide et ueritate dicit : Adimpleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius quod est ecclesia et rursum : Ideo sustineo omnia propter electos

ut et ipsi salutem consequantur quae est in Christo Iesu cum gloria caelesti et dominum Iesum Christum pro baptizatis reprobis crucifixum scienter obloquuntur mentientes reprobi circa fidem et scelesti, cum prorsus ipse apostolus pro reprobis nec oret nec orare nobis iubeat ullatenus sed pro sanctis omnibus ? Ait enim: Orantes omni tempore in spiritu et in ipso uigilantes in omni instantia et observatione pro omnibus sanctis et pro me. Cum constet nec ullus hinc sanum sapiens dubitet quod omnes reprobi non solum uidelicet pagani sed omnes etiam christiani baptizati filii sint perditionis dicente domino de Iuda baptizato :Nemo ex his periit nisi filius perditionis, et omnes electi filii sint promissionis dicente apostolo : Filii promissionis aestimantur in semine idem uero semen sit utique Christus ut ait apostolus : Et semini tuo quod est Christus et insuper Christus et ecclesia tamquam sponsus et sponsa una sint sine dubitatione persona ac per hoc non modo caput ecclesiae Christus uerum etiam ipsa ecclesia tamquam sui capitis corpus et membra cum capite suo dicatur et sit Christus ut ait apostolus : Sicut enim corpus unum est et membra multa habet, omnia autem membra corporis cum sint multa unum corpus sunt, ita et Christus et iterum :Si autem uos Christi, ergo Abrahae semen estis id est Christus estis, cum hoc inquam ita constet, certissimum prorsus cunctis catholicis esse debet quod uerissimum sit illud quod beatus Augustinus ait : Non enim pereunt filii promissionis sed per-

ditionis, quia reuera si periret Christi corpus, id est populus christianus, periret etiam Christus. Pereant prout merentur falsi fratres et falsi christiani. Membra prorsus et corpus non peribit Christi. Hinc securus ita super psalmum : *Misericordias domini noster* ait Augustinus : *Peccent quantum uolunt desperati, respondeant membra Christi : « Si deus pro nobis quis contra nos ? »* Et iterum : *Non potest hoc corpus decollari* et alia huiusmodi sincerissimus ipse ueritatis amator inde dicit ibi. Quae si diligenter intellegenter ex caritate ueritatis ut oportet filium ueritatis cum licebit legeris, profecto magnum tuae mentis emolumentum, deo gratis opem ferente, nancisceris atque consequeris. Cum enim deus pater dicat in eodem psalmo : *Misericordiam autem meam non dispergam ab eo neque nocebo in ueritate mea neque profanabo testamentum meum et quae procedunt de labiis meis non faciam irrita. Semel iuravi in sancto meo si Dauid mentiar : semen eius in aeternum manebit et thronus eius sicut sol in conspectu meo et sicut luna perfecta in aeternum et testis in caelo fidelis,* quis ullo modo contra haec audeat oblatrare nisi pertinaciter infidelis ? Sed audiant a beato Iob dici sibi isti ueritatis inimici : *Numquid deus indiget uestro mendacio ut pro illo loquamini dolos ?* Quod exponens beatus Gregorius dicit : *Deus mendacio non eget quia ueritas fulciri non quaerit uerbis falsitatis.*

Apostolus loquens de reprobis Iudaeis pariter et electis ait : *Secundum euangelium quidem inimici propter uos,*

secundum electionem autem carissimi propter patres, sine paenitentia sunt enim dona et uocatio dei id est ut sanctus Augustinus exponit : Sine mutatione stabiliter fixa sunt, namque per inimicos designauit reprobos et per carissimos, electos. Lege si uis primum praefati doctoris Librum ad Prosperum et Hilarium et Epistolam ad Paulinum. Item super utrisque consequenter ait apostolus : Sicut enim aliquando et uos non credidistis deo nunc autem misericordiam consecuti estis propter illorum incredulitatem, ita et isti nunc non crediderunt in uestram misericordiam ut et ipsi misericordiam consequantur. Isti et ipsi sunt procul ualde diuisi, uidelicet ut inimici et carissimi. Tale est et illud in psalmo : Ecce inimici tui sonauerunt et qui oderunt te extulerunt caput et cetera quae sequuntur de reprobis dicuntur usque ad id quod dicitur : Sicut ignis qui comburit siluam et sicut flamma comburens montes ita persequeris illos in tempestate tua et in ira tua turbabis eos. Sequitur oratio pro electis : Imple facies eorum ignominia et quaerent nomen tuum domine. Rursum sequitur de reprobis : Erubescant et conturbentur in saeculum saeculi et confundantur et pereant. Sequitur de utrisque : Et cognoscant quia nomen tibi dominus, tu solus altissimus in omni terra id est super omnem terram.

Apostolus ait : *Verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est, his autem qui salui fiunt id est nobis uirtus dei est. Et aliquanto post : Ex ipso inquit uos estis in Christo Iesu qui*

factus est sapientia nobis adeo et iustitia et sanctificatio et redemptio ut quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur in domino gloriatur. Haec itaque redemptio non ad illos pertinet qui pereunt sed ad illos qui salvi fiunt. Illa uero redemptio quae per gratiam baptismi quae significata est per manum Moysi gerentis utique typum Christi sicut scriptum est : *Hunc Moysen deus misit redemptorem in manu angeli qui apparuit ei* illa inquam redemptio quae communis est electis et reprobis ut fuit etiam tunc in illo populo dicente apostolo : *Patres nostri omnes sub nube fuerunt et omnes mare transierunt et omnes in Moysen baptizati sunt in nube et in mari praeterita peccata diluit, a futuris non redemit sicut etiam apostolus consequenter de ipso populo dicit : Sed non in pluribus eorum beneplacitum est deo nam prostrati sunt in deserto* de quibus etiam dominus deus dicit in psalmo : *Quibus iuravi in ira mea : si introibunt in requiem meam.* Illa uero redemptio qua pastor bonus posuit pro solis ouibus suis animam suam eripuit redemptos suos *de praesenti saeculo nequam secundum illam apostoli sententiam : Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris ut eriperet nos de praesenti saeculo nequam secundum uoluntatem dei et patris nostri.* Hinc etiam dicit et pater : *Verbum meum quod egredietur de ore meo non reuertetur ad me uacuum sed faciet quaecumque uolui et prosperabitur in his ad quae misi illud.* Hinc dicit et Dauid : *Et omnia quaecumque faciet prosperabuntur.* Porro quisquis audire uult qualiter ipsum

dei uerbum prosperatum sit in his ad quae pater illud misit audiat quod apostolus inde dicat : *Christus dilexit ecclesiam et seipsum tradidit pro ea ut illam sanctificaret mundans eam lauacro aquae in uerbo, ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid eiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* Item : *Nutrit et fouet Christus ecclesiam quia membra sumus corporis eius de carne eius et de ossibus eius. Propter hoc relinquet patrem et matrem suam et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in ecclesia.* Item : *In quo habemus redemptionem et remissionem peccatorum qui est imago dei inuisibilis, et ipse est caput corporis ecclesiae qui est principium primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens. Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare et per eum reconciliare omnia in ipsum pacificans per sanguinem crucis eius siue quae in terris siue quae in caelis sunt.* Haec autem omnia de solis prorsus electis euidentissime dicit quemadmodum in *Epistola ad Romanos* patenter ostendit : *Si cum adhuc peccatores essemus Christus pro nobis mortuus est, multo magis iustificati nunc in sanguine ipsius salui erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus reconciliati sumus deo per mortem filii eius, multo magis reconciliati salui erimus in uita ipsius.* Item : *Domus dei ecclesia dei uiui columna et firmamentum ueritatis.*

Illud apostoli : *Hic iam quaeritur inter dispensatores ut fidelis quis inueniatur* ita debet hyronicos interrogatiue

legi sicut illud quod aliquanto inferius ait : *Iam saturati estis, iam diuites facti estis, sine nobis regnatis* et illud in secunda : *Libenter suffertis insipientes cum sitis ipsi sapientes : sustinetis enim si quis uos in seruitutem redigit* et cetera.

Beatus Augustinus *In euangelium secundum Iohannem* quandam omeliam cunctis quam uidi melius pulchrius sapientius eloquentius ita inchoauit dicens : *In magnam spem dominus Iesus Christus suos erigit qua maior omnino esse non possit. Audite et estote « in spe gaudentes ».* Propter quod uita ista non amanda sed toleranda est ut esse possitis « in tribulatione patientes ». Dominus Iesus dicit, *filius dei unigenitus qui patri coequalis est dicit, qui propter nos homo factus est sed non sicut omnis homo mendax factus est dicit, uia ueritas dicit, qui mundum uicit de his quibus uicit dicit. Audite credite sperate desiderate quod dicit : « Pater quos dedisti mihi uolo ut ubi ego sum et illi sint mecum ».* Qui sunt isti quos ait a patre datos sibi ? nisi illi de quibus supra dicit : *Ut omne quod dedisti ei det eis uitam aeternam. Data est quidem filio potestas omnis carnis, id est omnis hominis ut liberaret quos uoluerit, damnet quos uoluerit, qui uiuos et mortuos iudicabit.* Sed illi specialiter ei sunt dati quibus omnibus dabit uitam aeternam nec poterit nisi fieri quod omnipotenti patri uelle se dixit *coomnipotens filius* ipse filius uia ueritas et uita per quem uenitur ad quem peruenitur in quo permanetur per quem currimus ad quem currimus in quo requiescimus.

ITEM TESTIMONIA DE RE PRAEDICTA

Omnis plantatio quam pater Christi plantavit non eradicabitur. Sic autem istud de solis electis ait apostolus sicuti illud : Pro nobis omnibus tradidit eum et illud : Ergo omnes mortui sunt et pro omnibus mortuus est. Illis etenim omnibus pro quibus deus pater proprio filio suo non pepercit sed eum tradidit, ipsum procul dubio filium suum donavit. Ac per hoc eis uitam aeternam et beatitudinem cum ipso filio suo sempiternam simul donavit, sicuti scilicet ibi mox apostolus ait : Quomodo non et cum ipso omnia donavit ? Non ergo pereunt qui morte Christi sunt redempti sed tantummodo soli reprobis letigeris flagitiis et facinoribus perempti. Quod autem filius dei pro solis electis passus fuerit ipse dicit : Animam meam pono pro ouibus meis non uidelicet pro hircis uel haedis quod absit alienis. Porro quod redemptae sanguine Christi non pereant oues Christi, non quod absit hereticis sed ipsi Christo debet utique credi ita dicenti : Oves meae uocem meam audiunt et cognosco eas et sequuntur me et ego uitam aeternam do eis et non peribunt in aeternum et non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi maius omnibus est et nemo potest rapere de manu patris mei. Quod exponens noster Augustinus audet et

dicit patulo : Quid potest lupus ? Quid potest fur et latro ? Non perdunt nisi ad interitum destinatos. De illis autem ouibus de quibus dicit apostolus : « Nouit dominus qui sunt eius » et : « Quos praesciuit et praedestinauit conformes fieri imagini filii sui ut sit ipse primogenitus in multis fratribus, quos autem praedestinauit hos et uocauit, et quos uocauit illos et iustificauit, quos autem iustificauit ipsos et glorificauit », de ouibus istis nec lupus rapit nec fur tollit nec latro interficit. Securus est de numero earum qui pro eis nouit quod dedit et hoc est quod ait : « Et non rapiet eas quisquam de manu mea » et : Nemo potest rapere de manu patris mei. Hinc et in Enchyridion dicit doctor idem : « Ideo Christus mortuus est et resurrexit ut et uiuorum et mortuorum dominetur » nec tenebit regnum mortis eum pro quo mortuus est ille « liber in mortuis ». Denique pro solis electis dominus passus est dicente eo : Filius hominis non uenit ministrari sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis, et iterum : Hic est calix sanguinis mei qui pro uobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hinc ait et beatus Gregorius : Illum Iohannes baptista praedicare ueniebat qui et quosdam ex Iudaea et multos ex gentibus redempturus erat. Item Gregorius : Pro sola electorum multitudine usque ad mortem se tradidit auctor uitae. Verum tamen si non ista sufficiunt, sumatur Expositio sancti Augustini in epistolam Pauli apostoli et legatur quod dicitur ibi : Commendat autem suam

caritatem deus in nobis et ceterae duae sententiae quae sequuntur et explanatio illarum. Simulque scito, tibi pariterque dicito gaudens quod illa redemptio quae a peccatis praeteritis fit in baptismo communis est electis et reprobis. De qua beatus apostolus Petrus dicit : *Eum qui emit eos dominum negantes superducentes sibi celerem perditionem*. Post istam redemptionem pereunt omnes reprobi membra Antichristi *uasa irae filii gehennae filii diffidentiae falsi fratres lupi rapaces* sicuti scilicet periit Iudas domino dicente : *Nemo ex his periit nisi filius perditionis*. Illa uero redemptio quae facta est per sanguinem crucis Christi propria solorum atque specialis electorum est. Non est temporalis ut est illa sed sine dubio sempiterna dicente apostolo : *Per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, aeterna redemptione inuenta*. Hac non sunt redempti nisi tantummodo electi soli scilicet ad uitam praesciti et praedestinati uocati iustificati et glorificati. Ac per hoc ipsi *promissionis filii* nullatenus deo perire possunt quia deus pater hos ut perhibetur ab apostolo *conresuscitauit* Christo et simul excitauit *et condesere fecit in caelestibus in Christo*. De his ait sanctus Augustinus : *Quicumque in dei prouidentissima dispensatione praesciti praedestinati uocati iustificati glorificati sunt, non dico nondum renati sed etiam nondum nati, iam filii dei sunt et omnino perire non possunt. Hi ita ueniunt ad filium quomodo ipse dicit : « Omne quod dat mihi pater*

ad me uenit et eum qui uenit ad me non eiciam foras » et iterum : « Haec est, inquit, uoluntas eius qui misit me patris ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo ». Horum si quisquam perit fallitur deus, sed nemo eorum perit quia non fallitur deus. Horum si quisquam perit uitio humano uincitur deus, sed nemo eorum perit quia nulla re uincitur deus.

Sicut Origenis qui dixit quod dominus noster deus dei filius eodem ordine quo perditum hominem redemerat esset diabolum redempturus et pro eo pariliter moriturus euidenter illa domini sententia conuincitur qua dicit de diabolo : *Princeps huius mundi iudicatus est* id est ut sanctus Augustinus exponit : *Iudicio ignis aeterni irreuocabiliter destinatus est*, ita prorsus qui dicunt quod generaliter Christus pro omnibus hominibus id est ut pro electis pari modo et pro reprobis passus est confutantur patenter illa domini sententia qua de non credentium multitudine dicit : *Qui autem non credit iam iudicatus est* id est ut noster Augustinus explanat : *Iam damnatus est. Nondum enim apparuit iudicium sed [iam] factum est iudicium.* De quibus ait et Dauid : *Ideo non resurgent impii in iudicio, quia* sicut auctor praedictus exponit *iam poenis certissimis destinati sunt.* Porro illi qui dicunt quod sicut Christus redemit electos, licet non redemerit reprobos paganos, redemit tamen similiter omnes reprobos baptizatos atque baptizandos, perfacile conuincuntur illa domini sententia qua dicit de reprob-

orum baptizatorum multitudine licet sub unius nomine : *Intrauit autem rex ut uideret discumbentes et uidit ibi hominem non uestitum ueste nuptiali et ait illi : Amice quomodo huc intrasti non habens uestem nuptialem ? Tunc dixit rex ministris : Ligate manus eius et pedes et proicite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium.* Igitur cum per hunc unum significentur omnes reprobis baptizati sicut exponitur mox domino dicente : *Multi uocati*, quaerendum est ab eis qui falsissime praesumunt dicere hos omnes a Christo redemptos esse unde hos redemerit ipse mortem passus in cruce. De peccatis enim uel originalibus uel actualibus tantummodo quae traxerunt siue commiserunt ante baptismum eos redemit, quippe de quibus eos in baptismo redemit et cotidie redimit..... De morte quoque non eos redemit qui perpetuae damnationis..... quia nimirum generaliter dictum est de omnibus reprobis : *Et qui non est inuentus in libro uitae scriptus missus est in stagnum ignis.* Restat igitur ut certissime credamus intellegamus et usque ad mortem constantissime confiteamur et asseramus quod pro solis dominus est passus electis et eos per sanguinem crucis suae redemit a cunctis id est a praeteritis et a praesentibus et a futuris omnino peccatis.

Ille qui dicit quod dominus deus noster dei filius pro omnibus reprobis baptizatis mortuus fuerit interrogandus est quid illis mors ipsa Christi profuerit cum sempiterna sa-

lute saluos eos non fecerit. Siquidem solum populum suum redemptor atque saluator mundi saluum tantummodo fecit secundum illud angeli dictum : *Ipse enim saluum faciet populum suum a peccatis eorum.* An illos redimere moriendo uoluit, sed saluos facere noluit, cum reuera moriendo redimere grauius fuerit quam resurgendo saluare sit ? An illos saluare uoluit sed ipsi noluerunt ? Et ubi est illa omnipotentia dei qua sicut psalmista dicit : *Omnia quaecumque uoluit fecit ?* Nonne facit ipse uolentes ex nolentibus apostolo dicente : *Deus est enim qui operatur in uobis et uelle et perficere pro bona uoluntate ?* Hinc est et illud : *A domino gressus hominis dirigentur et uiam eius uolet* et illud : *Paratur uoluntas a domino.* Interrogandus est quoque utrum deus dilexerit reprobos baptizatos quos redemit et paganos odio habuerit quos non redemit. Quod si uerum esse responderit, interrogandus est consequenter cur baptizatos reprobos dilexerit et redemerit quos utique multo peiores esse postmodum futuros et maiora multoque grauiora tormenta passuros esse praesciuit, et solos paganos odio habuerit quos utique multo minus malos futuros atque multo minora tormenta passuros esse praenouit, secundum illud scilicet domini : *Seruus qui nescit uoluntatem domini sui et non fecerit digna, plagis uapulabit paucis. Qui autem scit uoluntatem domini sui et non fecerit digna, plagis uapulabit multis.* Haec eum si sapienter sciscitatus fueris, mox illius quod rationabiliter ad ista respondeat ignarum uelut mutum miraberis.

Addere tamen et istud uolo prudenter illum nequissimum nebulonem consulendo, ad quem duorum mundorum reprobos baptizatos pertinere putet iusto dei iudicio, utrum uidelicet ad mundum reconciliatum atque mundatum an ad mundum inimicum damnatum inquinatum. Si pertinere dixerit eos ad mundum reconciliatum saluatum atque mundatum, dices ei : Ergo reconciliati saluati atque mundati sunt per mortem filii dei et ideo *saluierunt ab ira per ipsum* ? Quod si uolens nolens uiderit atque dixerit non esse uerum ac per hoc responderit eos pertinere potius ad mundum inimicum damnatum inquinatum, infer ipse consequenter et eum coartando confuta dicens hilariter atque fidenter : Igitur uelis nolis tandem aliquando credere intellegere confiteri cogeris quod Christus filius dei nullo modo per sanguinem crucis suae redemerit reprobos baptizatos quos non habet reconciliatos neque saluatos perpetim neque mundatos.

Interrogandus est quoque quomodo pro his passus fuerit pro quibus nec saltem orauit quippe de quibus patri ait : *Non pro mundo rogo* de quo mundo apostolus dicit : *Ne cum hoc mundo damnemur*, quod a sancto sic exponitur Augustino : *Pro isto dominus mundo non rogat, neque enim quo sit praedestinatus ignorat*. Claret igitur sole splendidius quod pro quibus non rogauit, quod est minus, pro his utique non est passus, quod est multo amplius.

XIII

REPROBOS NON ESSE REDEMPTOS CAUTUM EST

Ista qui fideliter et sicut expedit ex caritate considerauerit reprobos baptizatos morte Christi redemptos nullatenus asseuerabit. *Ipse enim uerus est agnus qui mortem moriendo destruxit et uitam resurgendo reparauit* et ut Casiodorus asserit : *Ipse staluator salutem moriendo concessit.*

Illud quod dicitur in psalmo : *Dominus regnauit a ligno* sic exponitur a Casiodoro : *Non ab illo ligno paradysi unde diabolus genus humanum uidebatur tenere captiuum sed ab isto scilicet crucis ligno unde libertas caput extulit et uita surrexit, in illo quidem ligno mors transgressionis pependit in isto fides confessionis emicuit, illud perduxit ad inferos istud mittit ad caelos, ut uidelicet subintellegatur mitti per ipsum redemptos quos procul dubio solos, uelint nolint inimici ueritatis, esse constat electos.*

XIII

DE COGITANDO apostolus ait : *Non sumus idonei uel sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex deo est.*

XIII

ITEM DE FIDE : *Gratia salui facti estis per fidem, et hoc non ex uobis sed dei donum est.* Item : *Habentes autem eundem spiritum fidei* ubi nimiru dum non ait : idem meritum fidei sed *eundem spiritum fidei*, patenter ostendit esse fidem donum dei. Hinc est et illud cum dixissent Iudaei ad dominum : *Quid faciemus ut operemur opus dei ? Hoc est inquit opus dei ut credatis in eum quem misit ille.*

ITEM DE VELLE ET OPERARI dicit apostolus : *Deus est enim qui operatur in uo bis et uelle et operari — siue perficere — pro bona uoluntate.* Pro qua bona uoluntate, nisi quam operatur ipse qui aufert a nobis *cor lapideum* et dat *cor carneum* id est aufert a nobis duram et inflexibilem uoluntatem et dat pronam et bonam ? Scriptum est enim : *Paratur uoluntas a domino.* Ipse ergo sicut a sancto Augustino dicitur *hominis uoluntatem et praeparat adiuuandam et adiuuat praeparatam.*

ITEM DE SPE : *Tu es domine spes mea.* Porro DE TIMORE dicit dominus ipse : *Timorem meum dabo in corde eorum ut a me non recedant.*

Iam uero DE DILECTIONE quae deus est notissimum uobis est quod nisi nobis eam deus det, nullus illam habere potest, ac per hoc deus eam dat dicente apostolo : *Caritas dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis.*

DE CONTINENTIA quoque sacra scriptura sic perhibet : *Nemo potest esse continens nisi deus det.*

XIII

Sic etiam DE CURSU : *Non est fortium cursus*. Tunc enim salubriter currimus quando trahimur diuinitus iuxta illud : *Trahe me post te curremus*. Verum est quidem quod sicut apostolus bonum certamen certauit cursum consummauit fidem seruauit, sic et electi quique prout possunt bonum certamen certant cursum consummant fidem seruant, sed —*Ad locum unde exeunt flumina reuertuntur ut iterum fluant*— nihil propriis uiribus arrogant sed fonti de quo fluunt id est gratiae dei qua sunt id quod sunt totum semper applicant et instanter adsignant. Nouerunt enim scriptum esse quia *dominus praestat certamen*, et : *Certamen forte dedit illi ut uinceret*, et : *Deo autem gratias qui dedit nobis uictoriam per dominum nostrum Iesum Christum*.

DE ORATIONE uero dicit apostolus : *Quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* id est postulare nos facit.

DE PATIENTIA quoque, quin etiam de passione testantur paria sacrae scripturae ut est illud : *Deo subiecta esto anima mea quoniam ab ipso patientia mea*, et : *Tu es patientia mea domine*, et : *Patientia Israhel domine*, et : *Melius est si uelit uoluntas domini benefacientes pati quam male facientes* et : *Vobis donatum est pro Christo non solum ut credatis in eum, uerum etiam ut patiamini pro eo*. Ecce de credere et pati simul in una sententia sufficiens apostoli testimonium. Utrumque ostendit dei

XIII

esse donum quia utrumque dixit esse donatum. Porro a quo nobis donatum est pati pro Christo procul dubio nobis ab ipso perseuerare donatur in Christo. Quos enim usque in finem facit perseuerare, ipsos profecto liberat ab omni opere malo et saluos facit in regnum suum caeleste. Haec autem omnia et cetera quaecumque sunt bona propterea dei declarantur esse certissime dona ne forte quis extollatur sed unusquisque semper humilietur et *qui gloriatur in domino gloriatur.*

DE GRATIA. Quemadmodum corpus indiget animae quo possit uiuere, et sicut oculi simul et aer indigent lucis ut et illi ualeant uidere et iste lucere, et sicut palmites indigent uitis ut fructum queant ferre, sic profecto rationalis creatura non modo humana sed prorsus et angelica semper diuinae gratiae cognoscitur indigere quo per illam possit deo placere. Quocirca quemadmodum rectissime potest dici : quod uiuit corpus non est corporis uiuentis sed animae uiuificantis, et quod oculus uidet et aer lucet non est oculi uidentis et aeris lucentis sed lucis inlucentis, et quod palmes manens in uite fert fructum non est palmitis fructum ferentis sed uitis uitalem sucum palmiti conferentis, ita prorsus rectissime dicit apostolus : *Non est uolentis neque currentis sed miserentis est dei*, quia uidelicet miserentis dei misericordia est. Nolentem hominem praeueniens facit ut bene uelit et uolentem subsequitur ut possit. Unde

sanctissimus ac peritissimus doctor Augustinus ait suapte uidelicet uerissime : *Non enim ideo misertus est deus quia uoluit et cucurrit Iacob sed ideo uoluit et cucurrit Iacob quia misertus est deus.* Qui rursus exponens illud Iohannis Baptistae quod scriptum est in euangelio : *Non potest homo accipere quicquam nisi datum fuerit ei de caelo : Si quid diuinum inquit audisti a Iohanne, inluminantis est non recipientis.* Haec legens et animo tenens, illud quod ait sanctus Hieronymus non eris quod absit recipiens : *Regnum dei non est dantis sed accipientis.* [« *Non enim est acceptio personarum apud deum* ». *Sed quicumque se prae-buerit ut regno caelorum dignus fiat, hic accipiet*] quod non personae sed uitae paratum est, cum ei patenter in eadem sententia Christus ipse contradicat et dicat : *Sed quibus paratum est a patre meo.* Non enim dixit : quorum uitae, sed *quibus*, ubi prorsus intelleguntur euidenter hominum personae. Verum beato Hieronimo qui rem annorum sicut ipse dixit id est illud *Commentum in Matthaeumin* duabus egit ebdomadibus ut festinanti pepercit dominus deus. Ceterum nullus id quod posui superius acceptare debet ullatenus qui non uult esse ueritatis reus. Sane sunt et alia multa — quae quis enumeraret cuncta ? — ubi sanctus idem Hieronimus ut homo est locutus. E quibus est illud *In epistolam ad Galathas* quod est fassus in trinitate tres esse spiritus, et quod illic non peccauerit apostolus Petrus ubi eum reprehensibilem fuisse scribit

apostolus Paulus, cum in eadem epistola testando iuret et dicat superius idem *ueritatis praedicator* et noster *gentium doctor* : *Quae autem scribo uobis ecce coram deo quia non mentior.* Unde ad eundem sanctum Hieronimum scribens noster Augustinus : *Si autem inquit Paulus ibi mentitus est, ubi uerum dixit ? Item : Dent ueniam quilibet aliud opinantes. Ego magis credo apostolo in suis et pro suis litteris iuranti quam cuique doctissimo de alienis litteris disputanti.* Illud etiam nullatenus est uerum quod *In Esaiam* perhibet non esse praefinitum siue praefixum diuinitus unicuique nostrum uiuendi numerum dierum. Contra quod satis superque tribus locis respondit beatus Gregorius in tertia parte *Moralium*. Nec illud quoque quadrat concinnat consonat ueritati quod asseuerat ibi solem et lunam uenturos ad diem iudicii et recepturos augmentum lucendi pro mercede seruitii sui, contra quod in *Libro contra Origenistas ad Orosium* breuiter quidem sed sufficienter sanctus Augustinus ita respondens ait : *De diuinis uoluminibus legatur et credamus.* Igitur quando sancti Hieronimi opuscula lego, illud frequenter ad mentem mihi reduco quod ipse dicit in prologo *Super epistolam ad Galathas* : *Legi haec omnia et in mentem meam plurima coadceruans uel mea uel aliena dictaui.* Sicque nimirum sponte sector et amplector ubicumque uerum dixit et e contrario libenter ac licenter praetereo ubi sicut homo aliena dictaui.

ITEM DE REPROBIS BAPTIZATIS

Quantum differant haec salus corporalis et temporalis quae cum pecoribus atque iumentis communis est hominibus bonis et malis et salus illa spiritalis et sempiterna quae solis utique probatur electis esse specialis quippe de qua dicitur : *Iustum adiutorium meum a deo qui saluos facit rectos corde*, et : *Populum humilem saluos facies domine*, et : *Saluasti me a descendentibus in lacum*, et : *Saluum fac populum tuum* propter quem scilicet solum Christus dei filius uocatus est Iesus : *Ipse enim saluum faciet populum suuminquit a peccatis eorum*, de quibus etiam dicitur : *Salus autem iustorum a domino* cum de reprobis dicat esse contrario : *Longe a peccatoribus salus* ac per hoc nemo prorsus illorum fit aeterna salute saluus sed solus omnino populus electus ad cuius utique sortem pertinet ille de quo dicit dominus : *Qui crediderit et baptizatus fuerit saluus erit*, et : *Qui perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit*, quantum inquam differant inter se hae salutis duae meministi me prout puto luce clarius alibi dixisse decreuisse distinxisse apostolo uidelicet hic etiam nos adiuuante atque dicente : *Liberabit me dominus ab omni opere malo et saluum faciet in regnum suum caeleste* in quod prorsus patet neminem reproborum

saluandum esse. Illos enim deus hac saluat salute quibus miseretur magna bonitate, non illos quos indurat nulla iniquitate. Utrumque tamen sua facit pia pariter et iusta uoluntate et omnipotentissima potestate. Nam non dicit apostolus : Cui uult miseretur et quem non uult indurat, sed : *Cui uult miseretur et quem uult indurat*. Quapropter illi qui generaliter super electis et reprobis illud apostoli uolunt intellegi : *Deus uult omnes homines saluos fieri* sed electos ideo saluos facit quia ipsi saluari uolunt et e contrario reprobos ideo non saluat quia ipsi nolunt, hac prorsus una syllaba qua dicitur : *Quos uult indurat* conuinci facillime possunt. Quia reuera deus illos nullatenus aeterna salute saluare uoluit quos ob id iure sicut scriptura testatur *indurat* quia *uult*, non quia non uult. Hic igitur euigilent si ualent qui non timuerunt hactenus hoc sentire nec adhuc insuper timent. Et si non erubescunt [ad] illud quod dominus deus dixit Moysi : *Misereor cui miserebor et misericordiam praestabo cui misertus fuero et clemens ero in quem mihi placuerit* non ait : qui mihi placuerit, nec ad illud psalmistae : *Magna opera domini exquisita in omnes uoluntates eius*, et : *Omnia quaecumque uoluit dominus fecit in caelo et in terra in mari et in omnibus abyssis*, erubescant saltem ad illud quod domino deo dixit sancta femina et ei nunc uniuersa concorditer cantat ecclesia : *In uoluntate tua domine uniuersa sunt posita et non est qui possit resistere uoluntati tuae*. Haec et

XIV

huiusmodi multa testimonia sacrae scripturae diligenter attendant sapienter appendant prudenter perpendant, et si plus quam ranae sint esse uel dici fatui uerecundantur atque formidant quae uidelicet dum tonat non sonant, ad supra dicta sacrae scripturae quae caelum uocatur et est tonitrua tandem aliquando si possunt id est si mortui non sunt sed dormiunt excitentur euigilent erubescant. Erubescant inquam erubescant et conticescant. *Inter medios clericos* dormiant id est duorum testamentorum testimoniis adquiescant et tandem ueritati sicut eis expedit adquiescentes laeti quiescant. Alioquin illud beati Augustini quod super hereticis ait audiant : *Caelum tonat, ranae taceant*. Sed his omissis obstinatis et nimium duris non uidelicet uiuis sed mortuis nobis procul dubio necessarium est nimis ut eorum letiferis non perimamur uenenis. Namque qui dicunt quod deus qui generaliter et uniuersaliter, indifferenter et aequaliter uult omnes homines saluos fieri propterea saluat electos quia ipsi saluari uolunt et ideo non saluat reprobos quia ipsi nolunt, in electis prorsus negant dei gratiam et in reprobis licet nescienter negant dei omnipotentiam. Quia scilicet si solummodo saluat illos qui uolunt, iam profecto non saluat eos gratuito sed merito et illis iam salutem largitur ex debito. Porro si reprobos pariliter saluare uult, inest illi uelle sed omnipotentis ubi est posse ? Sed si dicunt : Inest deo cunctipotenti posse sicut et uelle sed illos impedit

proprium nolle, scire debent immo scire debemus quod sicut dicit apostolus *deus in nobis operatur et uelle*. Ac per hoc si uellet omnipotens, mox ut uellet in eis quoque pariliter operaretur idipsum tota facilitate summa celeritate tamquam cunctipotentissima potestate. Sed si praedictum apostoli testimonium quasi contrarium sit eidem apostolo qui dicit alibi : *Velle adiacet mihi* recipere nolentes dicunt adhuc permanentes *in uanitate sensus* et *in cordis duritia sui* quod *deus* quidem *uult omnes homines saluos fieri* sed eos tamen solummodo saluat qui uolunt omittens eos qui nolunt, interrogandi sunt : Cur ergo saluat paruulos infantes quando baptizantur flentes et quantum possunt reluctantes et omnino baptizari sua propria uoluntate nolentes ? Item similiter interrogandi sunt de paruulis reprobis et dicendum est eis : Cur illos uicissim deus non saluat qui sicut nec uolunt ita nec nolunt ? Ergo beniuolentio rem deum facitis erga maiores multo utique peiores quia uult eos ipse saluari sed ipsi nolunt, quam erga paruulos sine baptismate morientes quos ipse saluari non uult. De quibus tamen dici non potest quod nolint quippe qui in tantilla aetate nolle saluari nesciunt. Superest igitur ut aut conuicti respiscant qui talia sapiunt immo desipiunt aut relinquuntur perdit qui sic latrantes insaniunt. Porro illud alterum apostoli testimonium : *Velle adiacet mihi* nullatenus est contrarium illi quod superius posui, quia scilicet uelle quod deus dedit

XV

electis adiacet eis, perficere autem bonum non inueniunt quia nolentes concupiscunt, ac per hoc bonum faciunt quia concupiscentiae non consentiunt sed bonum non perficiunt quia concupiscunt. Non tamen ideo sunt quod absit damnabiles licet sint culpabiles quod concupiscunt, quoniam concupiscentiis quas nolendo sentiunt non consentiunt. Habent enim gratiam dei qua semper adiuuantur ne consentiendo fiant rei.

XV

ITEM. Beatus Augustinus inter cetera copiosa numerosa luminosa fructuosa memoriae suae uolumina, quae inusque diem iudicii profutura reliquit humano generi redempto sanguine Christi, scripsit luculentissimum et uniuersis prorsus deum diligentibus fructuosissimum *De spiritu et littera* librum, spiritum scilicet nuncupans gratiam, litteram legem iuxta illud apostoli : *Littera occidit, spiritus autem uiuificat*. In quo libro satis euidenter ostendit quod licet lex bona sit nihil tamen sine gratia prosit quippe quae, sicut superius apostoli testimonium dicit, potius occidit quam cuilibet prosit *nisi spiritus uiuificans gratis adsit*. Unde rursus alias apostolus ipse testatur : *Lex iram operatur*. Ita sane si gratia

non opitulatur. Hinc etiam satis ueraciter idem sanctus Augustinus alibi perhibet : *Sine causa lex iubet nisi gratia iuuat*. Disputat tamen in eodem libro singulariter de lege fide et gratia, de sanitate siue sanatione animae, de dilectione et delectatione iustitiae et de libero arbitrio. Cuiuslibet de singulis his uerba non teneam, sensum tamen partim recolens inde nonnulla prout ualuerō proferam. Primum ergo legem bonam esse testatur sicut apostolus dicit : *Bona est lex si quis ea legitime utatur*, ut uidelicet discens in ea bonum et malum non confidat in ea nec in eiusdem scientia quia nullatenus per illam facere potest dei mandata sed ab ipsa lege iubente ac nisi fiant quae iubet occidente *confugiat per fidem ad gratiam* iuuantem spiritumque uiuificantem, quo uidelicet gratis adiutus et uiuificatus accipiat diuinitus animae sanitatem dein uero iustitiae dilectionem atque delectationem tumque gratis restauratum reparatum restitutum ad declinandum a malo et faciendum bonum per gratuitum gratiae dei donum recipiat liberum arbitrium, quod nimirum ex quo *seruus peccati* factus est nisi solummodo ad male agendum habuisse probatur penitus perditum iuxta illud domini : *Amen amen dico uobis : omnis qui facit peccatum seruus est peccati*, ac per hoc quamdiu quisque seruus est peccati, non habet aliam libertatem nisi peccandi et mala perpetrandi et uoluntatem domini sui hoc est peccati liberaliter patrandi. Regnat enim carnalis cupiditas ubi

non est dei caritas. Et ob id, ad benefaciendum ibi nulla est libertas ubi non est dei caritas, quia reuera solummodo sicut apostoli clamat auctoritas : *Ubi spiritus domini ibi libertas. Lex ergo data est ut gratia quaereretur, gratia data est ut lex impleretur. Lex enim paedagogus noster fuit*, quae nullo modo peccatis absoluere potuit potest uel poterit sed potius terruit insuper et occidit, at electos dei terrendo sanando per fidem ad gratiam Christi uelut paedagogi perducit officio. Porro postquam per gratiam Christi uiuificantur electi percepta sanitate a uitio peccati et infusa sibi simul atque diffusa in cordibus electorum dilectione siue delectatione iustitiae, tum demum recipiunt et ad benefaciendum habent liberum arbitrium, sicut superius licet non penitus uel usquequaque uerbis tamen sensu praefati doctoris ut reor euidenter et sufficienter ostendi. Sed cum tantus idem magister distinxisset suapte scilicet sapienter et eloquenter officium singulorum id est legis fidei gratiae san||tatis dilectionis atque delectationis iustitiae et liberi arbitrii, subiecit et ait : *Haec omnia quae uelut catenatim posui habent in scriptura sacra uoces suas. Lex dicit : « Non concnpisces », fides dicit : « Ego dixi : domine miserere mei, sana animam meam quia peccaui tibi », gratia dicit : « Ecce sanus factus es, iam noli peccare ne deterius tibi aliquid contingat », sanatio animae a uitio peccati dicit : « Domine deus meus clamaui ad te, et sanasti me », dilectio siue delectatio iustitiae dicit : « Narrauerunt mihi iniqui*

XVI

delectationes suas, sed non sicut lex tua domine », liberum arbitrium dicit : « Voluntarie sacrificabo tibi ».

XVI

ITEM. Statera illa in qua sunt beati Iob id est sanctae ecclesiae appensa peccata Christus est qui sicut apostolus ait : *Dilexit ecclesiam et seipsum tradidit pro ea*, quippe qui sicut idem perhibet item *caput est ecclesiae, ipse saluator corporis sui*. Claret itaque non subobscurè sed perspicue nec utcumque sed solis ipsius omnino splendidius luce quod, uelint nolint inimici veritatis et amici erroris mendacii falsitatis, solam sanctam ecclesiam suam atque solos electos id est suum solummodo corpus et membra per sanguinem crucis suae redemit Christus, proque solis eis prorsus tantummodo fuit crucifixus atque tunc temporis contumeliosissimam ignominiosissimam turpissimam mortem crucis est pro solis ipsis procul dubio passus : quod ita, te nobis uero lumine lucente probamus et approbamus, et satanae ministros id est erroris magistros refutamus et improbamus. Solorum electorum tuorum peccata quibus iram meruerunt sunt in Christo statera prorsus appensa, quia remissis et solutis omnibus eorundem peccatis ipsi soli post caput suum subierunt sub-

eunt subibunt super sidera, quia reuera sicut Augustinus ait : *Quo caput et cetera membra*. At e contra quoniam reproborum siue paganorum siue baptizatorum atque baptizandorum peccata pro quibus iram meruerunt nullatenus in eadem statera fuerunt ut falsissime conicitur dicitur scribitur recitatur et praedicatur appensa, iure nimirum et ante caput suum praecipitati sunt rite praecipitantur et omnes ad extremum cum capite suo praecipitabuntur et demergentur in tartara quia scilicet *quo caput et cetera membra*.

Quisquis haec non uidet caecus est, ista quisquis negat nectus est, non ouis nempe non agnus est sed rapax is lupus uel procax hircus est. Proinde sicut ipse domine deus noster et magister Iesu Christe loqui noluisti cum uulpe Herode quem eum uere praedixeras esse, sic prorsus immo multo magis congruit competit conuenit ouibus tuis ab infestationibus luporum rapacium penitus cauere et ulterius nihil iam talibus nisi dumtaxat ob infirmos minusque capaces cogat necessitas respondere. Ipse cunctipotens et sapiens pius et bonus pastor, qui animam tuam posuisti pro ouibus tuis non pro haedis uel hircis quod absit alienis in alto cathedram habens et in caelo residens qui neque dormitas neque dormis, curam semper imbellium et imbecillium ouium tuarum gratis geris ut geris, insidias procacium pertinacium peruicacium luporum rapacium sollicitissime praeuidebis et eos tandem

XVII

aliquando, mox uidelicet ut uenerit *tempus faciendi* sicut scilicet uenit *tempus miserendi*, procul ab ouili tuo uelut expedit amouebis et illos *in locum suum* quantocius abire prout oportet iubebis. Domine deus qui dixisti patri tuo domino deo nostro : *Zelus domus tuae comedit me*, tu semper adiuua custodi tuere gratis oues tuas pro quibus utique solis ad mortem crucis libenter satis atque gaudenter tradidisti te. Amen.

XVII

QUARE FILIUS NUNC AEQUALIS NUNC MINOR PATRE DICATUR

Dominus noster Iesus Christus deus et homo filius dei et hominis ex duabus et in duabus unitis atque perfectis est ut constat claret ac liquet una persona naturis. Itaque *ex una sententia apostoli duae naturae intelleguntur in filio dei, una in qua est per omnia aequalis patri, altera in qua minor est patre ubi ait : « Qui cum esset in forma dei non rapinam arbitratus est esse se aequalis deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui suscipiens »*. Proinde quaedam ita dicuntur in scripturis sanctis ut minor filius intellegatur sicut ipse ait : *« Pater maior me est »*, quaedam uero ita dicuntur ut aequalis patri ostendatur sicut ibi ubi idem ipse

ait : « Ego et pater unum sumus », unum propter substantiae unitatem, « sumus » propter personarum proprietatem. Quo diligentissime prudens lector considerare debet quid pro qua dicatur forma. Cum tamen in forma serui et in forma dei idem ipse sit filius unus unigenitus dei patris, in forma dei aequalis patri in forma serui minor patre, quapropter itaque non inmerito scriptura utrumque dicit et aequalem patri filium et patrem maiorem filio. Illud enim propter formam dei hoc autem propter formam serui, sine ulla personae discretionem intellegitur. In forma dei : « In principio erat uerbum », in forma serui « Verbum caro factum est » id est deus homo factus est, in illa ex aeterno aequalis in ista ex tempore minor, in forma qua aequalis est patri fecit hominem in forma qua minor est homo factus est homo

Itaque per ipsum Christum duas factas fieri faciendas esse cognoscimus resurrectiones hominum, unam scilicet a morte animarum alteram a morte corporum, sed animarum resurrectio fit per deum Christum et resurrectio corporum per hominem Christum, ipso sic in euangelio dicente : *Venit hora et nunc est quando mortui audiunt uocem filii dei et qui audierunt uiuent*, et paulo post : *Veniet hora quando mortui qui in monumentis sunt audient uocem filii hominis et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem uitae, qui autem male in resurrectionem iudicii id est damnationis. Quisquis ut debet attendit id quod supra dicit : Audiunt uocem filii dei et*

illud quod supra : *Audient uocem filii hominise* uidenter nimirum cernit atque discernit utriusque differentiam resurrectionis, atque potioem fieri resurrectionem per diuinitatem qua aequalis est patri et unum cum patre sicut dicit ipse : *Ego et pater unum sumus*, et inferiorem dein resurrectionem factum iri per humanitatem Christi qua maior est pater ipso filio dicente : *Pater maior me est*. Non quod duo filii uel Christi sint duo deus et homo uelut latrauit Nestorius — non enim fecit humanitas ut accederet quod absit deo trinitati quaternitas sed mansit ut erat trinitas — uerum quod duas in Christo non unam sicut somniauit Euthices credamus cognoscamus confiteamur esse naturas. Unde catholici confutantes perfidiam Nestorii iure prorsus fatentur et dicunt quod non est alius Christus deus alius Christus homo sed unus idemque Christus deus et homo, sicuti scilicet sat patenter declaratur id in psalmo ubi dicitur : *Et homo natus est in ea, et ipse fundauit eam altissimus* et in alio : *Parata sedes tua ex tunc, a saeculo tu es*. Non enim ait : uos estis, sed *ex tunc* id est ex quo factus es homo et *a saeculo* quando nondum eras homo *tu es*. Hinc est et illud | in alio psalmo : *Scitote quoniam dominus ipse est deus* id est qui dominus est secundum humanitatem ipse est deus iuxta diuinitatem. Porro detestantes etiam Euthicetis insaniam dicimus quod aliud est in Christo diuinitas aliud humanitas, quod apertissime declaratur in psalmo ubi

XVIII

dicitur ex persona patris : *Inueni Dauid seruum meum oleo sancto meo unxi eum*, et : *Ipse inuocauit me : pater meus es tu, deus meus* et cetera quae tam superius quam inferius illic inde dicuntur. Hinc est et illud : *Exaltate dominum deum nostrum et adorate scabellum pedum eius quoniam sanctum est* id est humanitatem diuinitatis eius, et illud : *Dixit dominus domino meo, sede a dextris meis*, en sedentis humanitas. Item : *Ante luciferum genui te*, ecce nunc sempiternaliter eius ex patre genita et semper nata diuinitas.

XVIII

ITEM DE ELECTIS ET REPROBIS

Si super electis unus illorum ueraciter ait : *Omnes nos uelut oues errauimus, unusquisque in uiam suam declinauit*, iure prorsus de reprobis dixit alius illorum non mediocre sed summum tenens inter ipsos tunc temporis locum : *Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum non est usque ad unum*. Quod a sancto Augustino sic ueracissime constat expositum : *Hoc inquit bonum quod est requirere deum non erat qui faceret et non erat usque ad unum, sed in eo genere hominum quod praedestinatum est ad interitum* quod fortasse post

aduentum domini nullus catholicorum sic ante ipsum patenter inuenitur explanasse doctorum. Quocirca conici potest ut Origenis illud quod superius est positum Esaiae testimonium : *Omnes nos uelut oues errauimus*que ad id quod ait : *Et dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum* generaliter super electis et reprobis intellegendum putauerit et ob id Christum passum uniuersaliter pro cunctis nescienter asseuerauerit, quasi uidelicet et in hunc sensum apostolus dixisset : *Ergo omnes mortui sunt et pro omnibus mortuus est* et illud : *Proprio filio suo non pepercit deus sed pro omnibus tradidit eum*. Quod exponens immo exponere uolens ille Origenis praedestinationis ueritatem uocauit errorem dicens : *Hic non sicut praedestinationis error existimat pro aliquantis sed pro omnibus qui sunt in ecclesia tradidit unigenitum filium suum pater*, cum secundum beatum Augustinum *uox sit electorum ad regnum dei praedestinatorum : Pro nobis omnibus tradidit eum*. Isti tamen *omnes* nusquam sacrarum scripturarum ueteris uidelicet nouique testamenti dicuntur ‘aliquanti’ sed aut in comparatione pereuntium *pauci* ut : *Multi uocati, pauci electi*, aut in suo genere *multi* ut : *Ipse peccata multorum tulit et in scientia sua iustificauit ipse iustus seruos meos multos*, et : *Iste asperget gentes multas*, et : *Patrem multarum gentium posui te*, et : *Multi ab oriente et occidente uenient et recumbent cum Abraham, Isaac et Iacob in regno caelorum*, et : *Dinumerabo eos et super arenam multiplicabuntur*.

XVIII

Sed quia praefatus Origenis non ut debuit hos paucos eosdemque multos perite considerauit sed omnes non specialiter electos sed generaliter cum eis etiam reprobos in his et in huiusmodi locis putauit, propterea prorsus ut puto super ipsis quasi uicissim reuoluendis uel rotandis iustorum et iniustorum circuitibus non clementer sed dementer errauit et hoc fortassis ob id sibi quasi prudenter uisus est aestimare uel potius asseuerare, quia pretium sanguinis Christi quo credi||dit uniuersaliter omnes redemptos non est ausus adnihilare nullificare uel adnullare et quantum ad reprobos quos redemptos fatebatur sed si permanerent in poenis perditos intuebatur euacuare frustrari cassare. Si Christus pro reprobis fuisset passus quod uerum non extat ullatenus, uerissime nosceretur certissime teneretur et intrepide assereretur non dico ‘non cunctos’ uerum ‘neminem illorum’ perpetualiter esse periturum pro quibus tam carum pretium cognoscitur fusum. Sed quia penitus constat id esse falsissimum, iure dicturus est illis dominus deus : *Ite maledicti in ignem aeternum*. Et ut euidentius Origenis et Origenistarum repelleret atque luce clarius conuinceret absurdissimum sensum, non dixit postmodum sicut prius : *Et ibunt hi in ignem aeternum, sed in supplicium aeternum* quo uidelidet cruciabuntur in sempiternum.

Porro sanctus Hieronymus, qui falsissimos illos execratus est rite circuitus, peraeque sicut et ille Christum

XVIII

pro reprobis passum esse credidit et *secundum propositum* non *deised* uniuscuiusque nostrum et secundum uoluntatem nostram sanctos nos et uocari et fieri et esse coniecit, et ob id *regnum dei non esse dantis sed accipientis* astruxit neque personis id sed *uitae paratum* esse asseruit ut uidelicet quisquis id uellet propria uoluntate bene uiuendo promptus acciperet. Asseuerauit enim unumquemque qui uellet dignum uoluntate humana, quod sanctus Augustinus tangens ait in *Libris ad Prosperum et Hilarium* : *Si quaeratur et discutiatur unde sit quisque dignus, non desunt qui dicant uoluntate humana. Nos autem dicimus gratia et praedestinatione diuina.*

Inter gratiam uero et praedestinationem hoc tantum interest quod praedestinatio est gratiae praeparatio, gratia uero ipsa donatio. Quisquis hanc differentiam diligenter ut expedit cernit atque discernit et consequenter ut debet inspicit illud quod dicit beatus Iohannes Baptista : *Gratiam pro gratia* et quod Paulus apostolus : *Gratia autem dei uita aeterna*, nimirum uidet quod et praesentialiter uita bona et dein etiam uita aeterna non fit *quisque dignus uoluntate humana* sed ut uere praefatus ait auctor *gratia et praedestinatione diuina*. Non enim gratia diuina pendet ex uoluntate humana sed uoluntas humana pendet ex gratia diuina. Ab ipsa datur et adiuuatur nutritur et roboratur gubernatur atque seruatur perficitur et coronatur. Scriptum est enim : *Praeparatur uoluntas a dom-*

XVIII

ino, et : A domino gressus hominis diriguntur et uiam eius uolet, et : Deus est qui operatur in nobis uelle et perficere pro bona uoluntate. Unde sicut per facile reminisci potes rogant annuatim deum deuote sacerdotes ut ad se nostras etiam rebelles compellat propitius uoluntates. At si nobis obiciatur illud quod in psalmo dicit ecclesia dei : Et ex uoluntate mea confitebor ei, sic eandem uoluntatem nouerimus esse nostram ut nobis eam fateamur a deo donatam sicut scilicet dicimus : Dominus dabit benignitatem et terra nostra dabit fructum suum, non uidelicet ex semetipsa naturaliter habitum sed ab illo gratis in ea satum qui exiit seminare semen suum.

His ita se habentibus quaeso te quo totus nunc adsis ad intellegendum penitus quod in *Expositione super epistolam ad Galatas* ait beatus Augustinus. Explanans enim illud apostoli : *Si nos ipsi aut angelus de caelo aliter uobis euangelizauerit praeterquam quod euangelizauimus uobis, anathema sit*, inter alia dicit : *Veritas propter seipsam amanda est non propter apostolum uel angelum qui eam adnuntiat quia si propter apostolum uel angelum amanda esset, prorsus et falsitas amanda putaretur et amaretur si ab apostolo uel angelo adnuntiaretur.* Haec ideo commemorandum ratum duxi ut assensum praebeas nemini umquam quantaelibet sit indolis auctoritatis famae sanctitatis ingenii contra ueritatem loquenti. Annuis ut beato Hieronimo tecum quod absit inde credam quod

fatetur in libro *Quaestionum hebraicarum* quod plantauerat dominus deus paradysum uoluptatis priusquam faceret caelum et terram ? Et ubi essent tot arbores nisi in terra ? Sic prorsus nec illud quadrat ullatenus quod dicit *In titulum : Attendite populus meus* quod propter epysimon figuram graecam quae pro hora sexta ponitur errauerit latinus interpres putans esse quod pro tertia scribitur et ideo transtulit in *Euangelio secundum Marcum* hora tertia dominum fuisse crucifixum, cum reuera uelut sanctus Augustinus docet in libris *De concordia euangelistarum* propterea sic sit ab eodem euangelista scriptum quo fieret omnibus notum plus hora tertia crucifixum fuisse dominum linguis Iudaeorum quam hora sexta manibus militum, siquidem hora tertia clamauerunt Iudaei : *Crucifige, crucifige eum.*

Et ad illud testimonium domini : *Ego dominus qui sanctifico uos* et ad istud sancti Augustini : *Et homines et iustos « ipse fecit nos et non ipsi nos »* uel etiam sicut ipse dicit rursus : *Et homines et bonos « ipse fecit nos et non ipsi nos »* respondere possunt isti miseri qui secuntur Pelagianos illud beati Iohannis apostoli : *Et omnis qui habet hanc spem in illum sanctificat se sicut et ipse sanctus est.* Sed ne cuilibet fidei possit umquam quod absit ab huius pessimae sectatoribus hereseos laqueus inferri uel etiam quantuluscumque scrupulus ingeri, quod hinc sanctus Augustinus in quatuor libris quos *Contra Pelagianos* ad

XVIII

beatum Bonifacium scripsit suapte dicat et doceat commemorare commodum censui. Ait enim quod interdum sancta scriptura sic loquitur ut illa quae deo faciente homines faciunt tacito dei nomine homines facere dicat, et illa quae consequenter solus deus in hominibus facit deum facere fateatur, quale est illud uerbi gratia quod in Salomone legitur secundum *LXX* : *Hominis est aperire os et a domino responsio linguae* : *Absit* inquit *ut Salomon ignorauerit quod pater suus Dauid domino dicit* : « *Domine labia mea aperies et os meum adnuntiabit laudem tuam* ». Tale est et illud : *Posui ori meo custodiam*, ita sane sic plane sed deo dante deo faciente. Item illud : *Obmutui et silui a bonis*, ita nempe sed deo faciente sicuti scilicet post aliquanta declarat et dicit ipse : *Obmutui et non aperui os meum quoniam tu fecisti* scilicet 'me'. Claret itaque quod homo per se hoc est deo non faciente nec custodiam potest ori suo ponere nec os aperire. Quod utrumque licet iam superius iam patefactum sit abunde, tamen ob repullulantem heresim impiissimam denuo dicam : Si solo libero arbitrio sine gratia dei posset homo custodiam ponere ori suo, non utique psalmista supplicando diceret deo : *Pone domine custodiam ori meo* hoc est fac ut ponam custodiam ori meo. Nonne iam posuerat custodiam quando dixerat : *Posui ori meo custodiam* ? Verum est utique sed liquet quod deo faciente. Item si solo libero arbitrio posset homo os suum aperire, non diceret domi-

XVIII

nus prophetae : *Et erit cum aperueris os tuum loquerisque ad eos quod reuera prius nequaquam ipse facere posset per se, quippe cum superius ei dixerit dominus : Linguam tuam adhaerescere faciam palato tuo et eris mutus nec quasi uir objurgans, quia domus exasperans est.* Itaque quando deus dicit homini : *Aperi os tuum et ego adimplebo illud,* ut homo I faciat quod deus iubet rogare debet ut eum iuuet, namque supplicando dicit psalmista dco : *Adiutor meus esto, ne derelinquas me.* Ostendit quia si derelictus fuerit nihil boni ualet ipse per se. Sic ergo et illud intellegi debet : *Sanctificat se sicut et ipse sanctus est,* et : *Ipse animam suam uiuificabit,* et : *Tu animam tuam liberasti,* et : *Saluabit animam eius a morte,* et : *Salua animam tuam* et cetera istius modi quae contra gratiam dei pro libero arbitrio dictis in suis ponunt Pelagiani, ut intellegatur sanissime non ut illi latrant insanissime quod electus quisque tunc tantummodo animam suam uiuificat seque sanctificat quando deus eum iuuat quando uelle ei inspirat et ei posse donat et quando facit ut faciat, quia prorsus nisi semper gratis adiuuet nihil aliud potest homo quam semper fieri magis ac magis reus.

His et talibus testimoniis diuinorum eloquiorum, quae omnia commemorare nimis longum est, satis quantum existimo manifestatur operari deus in cordibus hominum ad inclinandas eorum uoluntates quocumque uoluerit, siue ad bona pro sua misericordia siue ad mala pro meritis eorum,

XVIII

iudicio utique suo aliquando aperto aliquando occulto semper autem iusto. Fixum enim debet esse et immobile in corde uestro quia non est iniquitas apud deum. Gratia uero non secundum merita hominum datur. Alioquin gratia iam non est gratia quae ideo gratia uocatur quia gratis datur. Si autem potens est siue per angelos uel bonos uel malos siue quocumque alio modo operari etiam in cordibus malorum pro meritis eorum quorum malitiam non ipse fecit sed aut originaliter tracta est ab Adam aut creuit per propriam uoluntatem, quid mirum est si per spiritum sanctum operatur in cordibus electorum suorum bona, qui operatus est ut ipsa corda essent ex malis bona ? Sed suspicentur homines quaelibet merita bona quae putant praecedere ut iustificentur per dei gratiam, non intellegentes cum hoc dicunt nihil aliud quam negare se gratiam. Alioquin gratia iam non esset gratia. Et aliquando filiis infidelium praestatur haec gratia apertissime nullo bono merito praecedente, aliquando filii fidelium non eam consequuntur, aliquando impedimento existente ne possit periclitantibus subueniri. Fiunt uero ista per occultam dei prouidentiam cuius « inscrutabilia sunt iudicia et inuestigabiles uiae ». Haec enim iudicia inscrutabilia et inuestigabiles uias peruersi homines non cogitantes et procliuēs ad reprehendendum non idonei ad intellegendum putabant et iactitabant apostolos dicere : « Faciamus mala ut ueniant bona ». Quod absit ut apostoli dicerent. Sed homines non intellegentes hoc puta-

bant dici quando audiebant quod dixit apostolus : « Lex autem subintravit ut abundaret delictum, ubi autem abundavit delictum superabundavit gratia ». Sed utique id agit gratia ut iam fiant bona ab eis qui fecerant mala, non ut perseuerent in malis et reddi sibi existiment bona. Non itaque debent dicere : « Faciamus mala ut ueniant bona » sed : Fecimus mala et uenerunt bona, iam faciamus bona ut in futuro saeculo recipiamus pro bonis bona, qui in hoc saeculo recipimus pro malis bona. Propter quod scriptum est in psalmo : « Misericordiam et iudicium cantabo tibi domine ». Prius itaque non ideo uenit filius hominis in mundum « ut iudicet mundum sed ut saluetur mundus per ipsum » hoc propter misericordiam, postea uero propter iudicium « uenturus est iudicare uiuos et mortuos », quamuis et in hoc tempore ipsa saluatio non fiat sine iudicio sed occulto, ideo ait : « In iudicium ueni in hunc mundum ut qui non uident uideant et qui uident caeci fiant ». Ad occulta ergo dei iudicia reuocate quando uidetis in una causa quam certe habent omnes paruuli hereditarium malum trahentes ex Adam, huic subueniri ut baptizetur illi non subueniri ut in ipsa obligatione moriatur, illum baptizatum relinqui in hac uita quem praesciuit deus impium futurum, istum uero baptizatum rapi ex hac uita « ne malitia mutet eius intellectum ». Et nolite in istis dare iniustitiam uel insipientiam deo apud quem iustitiae fons est et sapientiae, sed sicut uos exhortatus sum ab initio sermonis hui-

us : «*In quod peruenistis in eo ambulate* » et hoc quoque uobis deus reuelabit et si non in hac uita certe in altera, « *nihil est enim occultum quod non reuelabitur* ». Quando ergo auditis dicentem dominum : «*Ego dominus seduxi prophetam illum* » et quod ait apostolus : «*Cuius uult miseretur et quem uult obdurat* » in eo quem seduci permittit uel obdurari mala eius merita credite, in eo uero cuius miseretur gratiam dei non reddentis mala pro malis sed bona pro malis fideliter et indubitanter agnoscite. Nec ideo auferatis a Faraone liberum arbitrium quia multis locis dicit deus :» *Ego indurauit Faraonem* » uel «*indurauit aut «indurabo cor Faraonis* ». Non enim propterea ipse Faraon non indurauit cor suum. Nam et hoc de illo legitur quando ablata est ab Aegyptiis cinomia dicente scriptura : «*Et ingrauuauit Faraon cor suum in isto tempore et noluit populum dimittere* ». Ac per hoc et deus indurauit per iustum iudicium et ipse Faraon per liberum arbitrium. Certi ergo estote quia non erit inanis labor uester si in bono proposito proficientes perseueretis usque in finem. Deus enim qui modo illis quos liberat non reddit secundum opera eorum tunc «*reddet unicuique secundum opera eius* ». Reddet omnino deus et mala pro malis quoniam iustus est, et bona pro malis quoniam bonus est, et bona pro bonis quoniam bonus et iustus est, tantummodo mala pro bonis non reddet quoniam iniustus non est. Reddet ergo mala pro malis poenam pro iniustitia, et reddet bona pro malis gratiam pro

iniustitia et reddet bona pro bonis gratiam pro gratia. Haec enim omnia operatur in eis qui « uasa misericordiae » operatus est eos, qui et « elegit » illos in filio suo « ante constitutionem mundi » per electionem gratiae. « Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia ». Non enim sic sunt uocati ut non essent electi propter quod dictum est : « Multi uocati, pauci uero electi », sed quoniam « secundum propositum uocati sunt » profecto electi sunt per electionem ut dictum est gratiae, non praecedentium meritorum suorum quia gratia illis est omne meritum. De talibus dicit apostolus : « Scimus quoniam diligentibus deum, omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum uocati sunt sancti, quoniam quos ante praesciuit et praedestinavit conformes fieri imaginis filii sui ut sit ipse primogenitus in multis fratribus, quos autem praedestinavit illos et uocauit, quos autem uocauit ipsos et iustificauit quos autem iustificauit ipsos et glorificauit ». Ex istis nullus perit quia omnes electi sunt, electi sunt autem quia « secundum propositum uocati sunt », propositum autem non suum sed dei de quo alibi dicitur : « Ut secundum electionem propositum dei maneret, et non ex operibus sed ex uocante dictum est ei quia « maior seruiet minori » et alibi : « Non secundum opera nostra, inquit, sed secundum suum propositum et gratiam ». Cum ergo audimus : « Quos autem praedestinavit, illos et uocauit » secundum propositum uocatos debemus agnoscere, quoniam inde coepit dicens : « Om-

nia cooperantur in bonum his qui secundum propositum uocati sunt » ac deinde subiunxit : « Quoniam quos ante praesciuit et praedestinavit conformes imaginis filii sui ut sit ipse primogenitus in multis fratribus », aique his praemissis subdidit : « Quos autem praedestinavit illos et uocauit ». Eos itaque uult intellegi quos secundum propositum uocauit, ne putentur in eis esse aliqui uocati et non electi propter illam dominicam sententiam : « Multi uocati pauci electi ». Quicumque enim electi sine dubio etiam uocati, non autem quicumque uocati consequenter electi. Illi ergo electi ut saepe dictum est qui « secundum propositum uocati » qui etiam praedestinati atque praesciti. Horum si quisquam perit fallitur deus sed nemo eorum perit quia non fallitur deus. Horum si quisquam perit uitio humano uincitur deus, sed nemo eorum perit quia nulla re uincitur deus. Electi autem sunt ad regnandum cum Christo, non quomodo electus est Iudas ad opus cui congruebat. Ab illo quippe electus est qui nouit bene uti etiam malis ut et per eius opus damnabile illud propter quod ipse uenerat opus uenerabile completeretur. Cum itaque audimus : « Nonne ego uos duodecim elegi et unus ex uobis diabolus est », illos debemus intellegere electos per misericordiam, illum per iudicium. Illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum, illum ad effundendum sanguinem suum. Repetite ergo assidue librum istum et si intellegitis deo gratias agite, ubi autem non intellegitis orate ut intellegatis, dabit enim uobis dominus

XVIII

intellectum. Mementote scriptum esse : « Si quis uestrum indiget sapientia postulet a deo qui dat omnibus affluenter et non inproperat et dabitur ei ». Ipsa est sapientia « desursum descendens » sicut ipse apostolus Iacobus dicit. Illam uero sapientiam repellite a uobis et orate ut non sit in uobis quam detestatus est ubi ait : « Quod si zelum amarum habetis et contentiones in uobis sunt, non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena animalis diabolica. Quae autem desursum est sapientia, primnm quidem est pudica deinde pacifica modesta plena misericordia suadibilis et fructibus bonis inaestimabilis sine simulatione ». Fratres, orate et pro nobis ut « temperanter et pie et iuste uiuamus in hoc saeculo, expectantes illam beatam spem et manifestationem domini et saluatoris nostri Iesu Christi » cui est honor et gloria et regnum cum patre et spiritu sancto in saecula saeculorum. Amen.